COBET

CAROLI GABRIELIS COBET,

PARISIENSIS,

LITERARUM HUMANIORUM IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA STUDIOSI,

COMMENTATIO,

QUA CONTINETUR

PROSOPOGRAPHIA XENOPHONTEA

IN CERTAMINE LITERARIO

CIVIUM

ACADEMIARUM BELGICARUM,

Die VIII *Mensis Februarii Anni* MDCCCXXXVI,

EX SENTENTIA

ORDINIS PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA,

PRAEMIO ORNATA.

LUGDUNI BATAVORUM,
Apud S. et J. LUCHTMANS,
ACADEMIAE TYPOGRAPHOS,
MDCCCXXXVI.

CAROLI GABRIELIS COBET,

PARISIENSIS,

LITERARUM HUMANIORUM IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA STUDIOSI,

RESPONSIO

AD

QUAESTIONEM LITERARIAM A NOBILISSIMA FACULTATE PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA A. MDCCCXXXV PROPOSITAM:

„ *Prosopographia Xenophontea, illustrandis nominibus eorum, qui memo-*
„ *rantur in Memorabilibus Socratis, Symposio et Oeconomico.*"

QUAE PRAEMIUM REPORTAVIT D. VIII MENSIS FEBRUARII A. MDCCCXXXVI.

Quum mihi multa, ut fieri solet, missa demum ad Actuarium Commentatione, aut melius essent perspecta, aut nova etiam innotuissent, venia mihi a Viris Clarissimis humanissime concessa ita usus sum, ut ex iis praecipua delibarem, quibus priora aut magis illustrarentur, aut, si quos errores deprehendissem, corrigerentur: quae tamen omnia ab ipsa Commentatione uncinis distinguenda religiose curavi.

R E S P O N S I O

A D

QUAESTIONEM LITERARIAM.

P R A E F A T I O.

Quamquam divini Platonis sentiendi cogitandique sublimitas, dicendi incomparabilis copia et ubertas, aemuli Xenophontis candorem et simplicitatem longe superavit, tanta tamen est in Xenophonte rerum bonarum abundantia et imprimis tam fida et accurata rerum Socraticarum descriptio, ut Platone hac in parte si non superior, at par sit habendus. Non rapit ille quidem lectorem in admirationem, sed blando veluti colloquio ita sibi conciliat animos, ut non sine desiderio eum ponas de manibus: et quicumque Platonem admirari et cum *θείᾳ κεφαλῇ βακχεῦσαι* didicerit, is Xenophontis mitem animum, lenem indolem non poterit non deamare.

Esto: *« imaginem tantum nobis exhibet Socratis, vere tamen et egregie sane expressam, sed imaginem":* esto; sed nihil idem de suo adjecit, nullum colorem, nullum fucum, quo aut elegantior aut subtilior aut *ἀτοπώτερος αὐτὸς αὑτοῦ* videretur: et si non viventem et agentem videmus Socratem, si non audimus loquentem; at Xenophontis, candide, simpliciter de caro magistro narrantis ab ore pendemus, vere narranti ex animo fidem habemus. Xenophon igitur mihi semper, si unum Platonem exceperis, in deliciis fuit; unde mihi statim arrisit Quaestio a Cl. Facultate Philosophiae Theoreticae et Literarum Humaniorum in certamen proposita, qua quaeritur: *Prosopographia Xenophontea illustrandis nominibus eorum, qui memorantur in Memorabilibus Socratis, Symposio et Oeconomico.* Cujus suavitas et praestantia me mox ita cepit, ut quid efficere possem, periculum facere in animum induxerim.

Xenophontem sumo in manus: mox intelligo me antea, praesertim in Memorabilium libris, fere nil nisi unum spectasse Socratem, hunc unice esse amplexum, ceteros prae illo vix curasse.

Οἶος πέπνυται, τοὶ δὲ σκιαὶ ἀΐσσουσιν.

Cujus rei quasi poenitentia quadam ductus ita Xenophontem legere et relegere coepi, ut aliquam cum ceteris quoque personis contraherem familiaritatem. In eo tamen mihi plerumque non satisfaciebam. Animo obversari solebat elegans illa et efficax ratio, quam in Platonis sui personis describendis doctiss. Groen van Prinsterer erat secutus. Hanc me in Xenophonte imitari non posse dolebam. Nec mirum: illi vastissimus patebat campus: mihi pratulum amoenum illud quidem, sed exiguum: et de exiguo quoque illo plures ille sibi decerpsit flosculos. Nam quum tanta sit Platonicas inter et Xenophonteas personas convenientia, quum neuter finxerit, sed suos aequales accurate descripserit, fieri non potuit, quin satis magna pars eorum, quae de Xenophonteis essent dicenda, fuerit ab illo occupata: quae repetere fuisset putidum.

Sed illius propositum a meo aliquanto est diversum. Groen judicium, quod Plato tulit de iis, qui in ipsius scriptis occurrunt, ex uno Platone acute pariter et diligenter confectum, elegantissime exposuit; mihi eorum, qui in Xenophontis libris memorantur, nomina sunt illustranda: ita ut mihi non Xenophontis tantum de iis judicium diligenter sit indagandum, sed ex ceteris quoque scriptoribus, si quid ad eorum notitiam illustrandam faciat, accurate sit colligendum et disponendum. Qua in re iterum magnae me impediebant difficultates: multa enim occurrunt in Xenophonte nomina tam illustria, ut, quamvis in summa diligentia, nil nisi actum agere possim, multa tam obscura, ut nil nisi aliorum silentio acquiescere liceat. Sic neque quis Themistocles fuerit, aut Pericles aut Alcibiades ostendere meum est, nec quid Demeas rerum egerit, aut Ceramo aut Meno facile quis dicat.

Ex hisce igitur difficultatibus me expedire sum conatus, atque semper id egi, ut in illustrandis iis nominibus, ipsum maxime Xenophontem illustrarem; hinc si quid esset obscurum et dubium, explicare, si quid Xenophon a ceteris auctoribus, imprimis a Platone, dissentire videretur, conciliare, et ita denique ipsum a nonnullorum et Veterum et Recentiorum criminationibus et calumniis vindicare pro virili parte studerem. Imprimis mihi refutanda erit eorum opinio, qui Xenophontem in personis suis describendis historicam fidem interdum violasse censeant: quos inter satis mirari non possum etiam doctiss. Groen numerari, quum dicit in *Prosopogr. Platon.* pag. 93 « *Recordari oportet Xenophontem hoc imprimis egisse, ut Socratis opiniones et praecepta in posterorum utilitatem scriptis religiose consignarentur, ceteros autem homines, ut accurate depingeret, parum, certe in Memorabilibus, sollicitum fuisse.*" Et mox: « *Cavendum, ne Xenophontem in iis ad historicas rationes exigamus, de quibus historice narrandis non cogitavit.*"

Nam Xenophon, etsi in personis suis depingendis non idem studium et artificium, quod Plato, posuit, tamen ejus instar, omnes, quos induxit, candide et libere, ut erant, vel, si malis, ut sibi esse videbantur, descripsit. In omnibus ipsi vel in minutiis convenit

nit, et cum Platone et cum omnibus fide dignis auctoribus, qui eorum res aut vitam attigerunt. Quo mihi quidem nullum videtur luculentius indicium, quantopere Xenophon fuerit veri amantissimus. Quare, sicubi a Platone et ceteris videtur dissentire, quanto aequius est, ipsius auctoritatem ad justam critices normam exigere, quam sine idoneis argumentis rejicere.

In omnibus autem hanc rationem sum secutus, ut primum, quid ipse Xenophon referat et quid de singulis sentiat, diligenter exquiram; deinde in iis, quorum aut obscurior sit aut incertior memoria, quid ceteri probati scriptores de iis narraverint, colligam et, periculosae plenum opus aleae, falsa a veris identidem discernam.

Quae tamen omnia accurate persequi, quantopere adolescenti sit difficile, in hac ipsa Commentatione componenda ubique sum expertus. Feci, quod potui; si me multa fefellerunt, Viri Clarissimi, adolescenti ignoscite: si in nonnullis ex Vestra sententia verum vidi, non plane inanem et Vobis indignam operam mihi posuisse videbor.

PARS PRIMA.

DE POËTIS.

Jure quodam suo Poëtae, antiquissimum e doctis genus, primum sibi vindicant locum. Poëtis multum semper tribuerunt philosophi elegantiores, maxime iis, qui graves sententias, utilia vitae praecepta carminibus inserere amabant. Subtilius quidem quam verius Max. Tyr. *Dissert.* X. *init. pag.* 103. *ποιητικὴ τί ἄλλο ἢ φιλοσοφία, τῷ μὲν χρόνῳ παλαιά, τῇ δὲ ἁρμονίᾳ ἔμμετρος, τῇ δὲ γνώμῃ μυθολογική; καὶ φιλοσοφία τί ἄλλο ἢ ποιητικὴ τῷ μὲν χρόνῳ νεωτέρα, τῇ δὲ ἁρμονίᾳ εὐζωνοτέρα, τῇ δὲ γνώμῃ σαφεστέρα;* olim tamen arctissimum philosophiam et poësin conjungebat vinculum. Hinc philosophi poëtarum antiquissimorum testimoniis tamquam luminibus orationem suam illustrare, ex iisdem saepe auctoritatem quamdam suis dictis conciliare studebant (1). Quae cum in alios, tum maxime in Socratem conveniunt, qui, de ceteris haud ita magnifice sentiens (2), Homero, Hesiodo, Epicharmo, Theognidi, Euripidi tantum tribuebat, ut non solum in familiari sermone saepius illorum dicta acute et interdum jocose interpretaretur cf. v. g. *Symp.* VIII. §. 30, sed etiam passim, quo melius et jucundius nonnulla amicis probaret, ad illorum auctoritatem confugere soleret. Exempla vide *Mem.* I. 3. §. 7. III. 1. §. 5. III. 2. §. 1. 2. IV. 6. §. 15 *et alibi* saepe.

Homerus ante omnes, qui *οὐ μόνον ποιητὴς ἀγαθὸς ἦν, ἀλλὰ καὶ τῷ τρόπῳ φιλόσοφος* (3); qui

> quid sit pulchrum, quid turpe, quid utile, quid non,
> Planius ac melius Chrysippo et Crantore dicit.

qui, ut Niceratus in *Symp.* IV. §. 6. ait: *σοφώτατος πεποίηκε σχεδὸν περὶ πάντων τῶν ἀνθρωπίνων.* Homerum igitur Socrates ita amabat, probabat, ita semper, opportunitate data, commendabat, extollebat, ut vere mihi statuisse videatur Dio Chrysostomus: *ἀλλὰ τοῦτό γε οἶμαι εἶναι σαφές, εἴτις ἔμπειρος ἀμφοῖν τοῖν ἀνδροῖν, ὅτι Σωκράτης τό γε ἀληθὲς*

(1) Nonnulli in hoc genere facre nimii. Cf. Valcken. in *Diatr.* pag. 29.

(2) De Poëtis suae aetatis, quid Socrates senserit, vid. Plato *Apolog. Socr.* pag. 22. B.

(3) Dio Chrysostomus *Orat.* XLVII. p. 523. *τῷ τρόπῳ* i. e. *quodammodo.* Ita enim malim, quam quod ibi vulgatur *τῷ τρόπῳ.*

θὲς Ὁμήρου μαθητής γέγονεν, οὐχ ὥσπερ ἔνιοί φασιν Ἀρχελάου (4): quae mox ipse luculenter explicat: *ὑπὲρ τῶν αὐτῶν ἐσπουδαζέτην καὶ ἐλεγέτην, ὁ μὲν διὰ τῆς ποιήσεως, ὁ δὲ καταλογάδην· περὶ ἀρετῆς ἀνθρώπων καὶ περὶ κακίας, καὶ ἁμαρτημάτων καὶ κατορθωμάτων· καὶ περὶ ἀληθείας καὶ ἀπάτης, καὶ ὅπως δοξάζουσιν οἱ πολλοὶ καὶ ὅπως ἐπίστανται οἱ φρόνιμοι* (5). Homeri et ceterorum *ῥήσεις* quum saepe in disputando laudaret et interpretaretur, hinc calumniarum in eum petita materia est. Jactabant eum *τῶν ἐνδοξοτάτων ποιητῶν ἐκλεγόμενον τὰ πονηρότατα καὶ τούτοις μαρτυρίοις χρώμενον διδάσκειν τοὺς συνόντας κακούργους εἶναι καὶ τυραννικούς*. *Mem.* I. 2. §. 56. Istiusmodi malignae interpretationis exemplum subjungitur in illis Hesiodi:

Ἔργον οὐδὲν ὄνειδος, ἀεργείη δέ τ' ὄνειδος.

ubi satis mirari nequeas istorum impudentiam, qui ex sententia tam aperta et simplici, tam egregia adeo, istum elicuerint sensum: *τοῦτο δὴ λέγειν αὐτὸν, ὡς ὁ ποιητὴς κελεύοι, μηδενὸς ἔργου, μήτε αἰσχροῦ, μήτε ἀδίκου ἀπέχεσθαι, ἀλλὰ καὶ ταῦτα ποιεῖν ἐπὶ τῷ κέρδει.*

Alterum exemplum ex Homeri *Iliad.* β. vs. 188 *sqq.* et 198 *sqq.* vide ibid. §. 58.

Ceterum eo facilius poëtarum locis praecipuis uti poterat in disputando Socrates, quod quivis *καλὸς κἀγαθὸς* et liberaliter institutus a prima inde pueritia praestantissimorum poëtarum egregia praecepta memoriter edisceret et in promtu haberet (6). Homeri maxime quanta tum fuerit admiratio, quantum studium, neminem latet: hunc Aristo-

(4) Dio Chrysost. *Orat.* L. pag. 558. Ultima verba, si quid judico, ita frigent, ut una litura videantur delenda. Adlevit margini sciolus, qui de Archelao, Socratis magistro, inaudiverat.

(5) *Ibid.* pag. 560. Ceterum de Homeri philosophia multi multa commenti sunt. Ex philosophorum poëtas interpretandi ratione quidvis ex quovis facile efficitur; hinc omnis generis philosophi sibi vindicabant Homerum. Sed acute Seneca *Epist* 88. „*Nisi forte tibi Homerum philosophum fuisse persuadent, cum his ipsis, quibus colligunt, negent. Nam modo Stoicum illum faciunt, virtutem solam probantem, et voluptatis refugientem et ab honesto ne immortalitatis quidem pretio recedentem; modo Epicureum, laudantem statum quietum civitatis et inter convivia cantusque vitam exigentis; modo Peripateticum, bonorum tria genera inducentem; modo Academicum, incerta omnia dicentem. Apparet nihil esse in eo, cui omnia insint: ita enim inter se dissident.*"

(6) [Classicus de eo argumento locus est Aeschinis in Orat. *contra Ctesiphontem* pag. 525. Reisk. *διὰ τοῦτο γὰρ οἶμαι ἡμᾶς παῖδας ὄντας τὰς τῶν ποιητῶν γνώμας ἐκμανθάνειν, ἵν' ἄνδρες ὄντες αὐταῖς χρώμεθα.*]

Neque tamen accedam Valckenario V. Cl. *Mem.* II. 6. §. 11. verba *ὧν ἐστιν ἀρχὴ* — *Ἀχαιῶν* ejicienti. Sciolus enim adscripsisset tantum: *ὧν ἐστιν ἀρχή* ut in re certa et indubitata; Socrates, *ἐπιλήσμων ἄνθρωπος* addit *τοιάδε τις* q. d. *si bene memini* quae in sciolo essent inepta: quo autem facilius totam *ῥῆσιν* longiorem revocet in memoriam, recitat initium.

demus *Mem.* I. 4. §. 3. ex Epicis omnibus admiratur unum; in hujus carminibus tanto studio et diligentia versatus erat Niceratus, genere et ingenio insignis adolescens, ut Iliadem et Odysseam teneret memoriter. *Symp.* III. §. 5 *sq.* IV. §. 6 *sq.* Homerum publice recitabant Rhapsodi, et more suo illustrabant, ineptum hominum genus, quorum fastusne et superbia major an stupor et inscitia dubites (7). Privatim alii Homerum interpretabantur in scholis, quos inter nonnulli fuerunt ingenio et eruditione insignes. Ex his Socrates *Symp.* III. §. 6. memorat duos, Anaximandrum et Stesimbrotum, quorum uterque, ut ex l. c. apparet, Allegoricam interpretandi rationem (*τὰς ὑπονοίας*) sequebatur; quam etsi non probabat Socrates, at ingenium tamen et eruditionem Interpretum laudabat. De utroque jam paucis exponamus.

De ANAXIMANDRO aut nihil aut dubia et falsa viri docti commentati sunt. Weiske ad Xenoph. l. l. Milesium putat esse historicum, de quo Cff. Diog. Laërt. II. 2. Suidas in v. Voss. *de Histor. Graec.* I. 6. Sed sine idoneis argumentis. Wolf. *Prolegom. pag.* CLXII, de Interpretibus Homeri agens: « *Minus etiam novimus Anaximandrum Xenophontis. Nam clarus discipulus Thaletis ex ratione temporum non potuit esse Nicerati magister: cognominis filius illius potuit esse; at ne de hoc quidem tale quidquam legitur.*" At mihi quidem dubium non est, hunc esse Anaximandrum Lampsacenum, ex quo mythum de Musis Allegorice interpretatur Fulgentius *Mythol.* I. 14. *pag.* 641. ubi sine causa *Anaximenes* legi jubet *Menag.* ad Diog. Laërt. II. 2. pag. 71. Eundem esse suspicor, de quo Athen. XI. p. 498 B. ita: Ἀναξίμανδρος ἐν τῇ Ἡρωολογίᾳ λέγων ὧδε· Ἀμφιτρύων δὲ τὴν λείαν δασάμενος τοῖς συμμάχοις κ. τ. λ. Nam Ἡρωολογία est *Dissertatio de Heroibus*, qua Homerum illustravit, nec opus est, ut mutetur in Ἡρωελεγείᾳ vel Ἡροελογίᾳ (quod vereor ut Graecum sit), uti voluit *Maussac.* ad Harpocrat. pag. 282. Ceterum colligitur ex loco Xenoph. l. Anaximandrum Homeri carmina, accepta grandi mercede, studiosis adolescentibus in scholis enarrasse.

Notior est STESIMBROTUS, ex insula Thaso oriundus, Plato *Ion. p.* 530 D. qui Periclis et Cimonis aetate floruit (8). Ad historicos videtur referendus, nam scripsit librum ἐπιγραφόμενον περὶ Θεμιστοκλέους καὶ Θουκυδίδου καὶ Περικλέους. Athen. XIII. p.

589

(7) Peculiari Dialogo *Ione* Plato istos explosit. Xenophon paucis, sed acerbissime eos exagitavit. *Mem.* IV. 2. §. 10. Euthydemus: τοὺς ῥαψῳδοὺς οἶδα τὰ μὲν ἔπη ἀκριβοῦντας, αὐτοὺς δὲ πάνυ ἠλιθίους ὄντας. *Symp.* III. §. 6. οἶσθά τι οὖν ἔθνος ἠλιθιώτερον ῥαψῳδῶν; — Οὐ μὰ τὸν Δί', ἔφη ὁ Νικήρατος, οὔκουν ἔμοιγε δοκεῖ.

(8) Athen. XIII. pag. 589. E. κατὰ τοὺς αὐτοὺς (*Pericli*) γενόμενος χρόνους καὶ ἑωρακὼς αὐτόν. Plutarch. in *Cim.* Cap. IV. narrat eum vixisse περὶ τὸν αὐτὸν ὁμοῦ τι (i. e. fere) χρόνον τῷ Κίμωνι. Perperam Intt. ad Xenoph. l. l. annotant Cimonem eo familiariter esse usum.

589 E. sed quum ex Plutarchi variis locis constet, eum neque bona fide fuisse commendatum (9), neque ab invidia et maledicentia abhorrentem (10), denique ne in temporibus quidem notandis satis diligentem (11) vix est, cur eum historicum dicamus.

Meliorem et utiliorem operam in Homero illustrando posuit. Fuit inter antiquissimos, qui de Homeri genere, aetate et poësi scripserunt, ut auctor est Tatianus *adversus gentes*, cujus locum habet *Fabricius* in B. G. II. 1. p. 321. *Harles*. Allegoricam, uti vidimus, interpretationem amplexus, magna nominis fama floruit; acutus erat et subtilis, atque adeo Socrates, quamquam illud studium et quaestus ita faciendi ratio displiceret, magni tamen hunc se facere declarat, quem Rhapsodorum inertiae et stupori opponat. Cff. Plato in *Ion*. l. l. Xenoph. *Symp*. l. l. Et ipse Athenis scholas habuit; quid ad Homerum illustrandum scripserit, non constat. Ipsius interpretationes hic illic memorantur in Commentariis, quos habemus. Cf. Wolf. in *Prolegom*. l. l.

Hesiodi quoque singuli versus singula testimonia erant Veteribus: huius praeclarissima praecepta orationis dulcedine et gravitate commendata Socrati passim in ore: huius admirabatur dictum. Op et D. vs. 311.

Ἔργον οὐδὲν ὄνειδος ἀεργείη δέ τ' ὄνειδος.

hinc docebat *τὸ μὲν ἐργάτην εἶναι ὠφέλιμόν τε ἀνθρώπῳ καὶ ἀγαθὸν εἶναι, τὸ δὲ ἀργὸν βλαβερόν τε καὶ κακόν· τοὺς μὲν ἀγαθόν τι ποιοῦντας ἐργάζεσθαί τε ἔφη καὶ ἐργάτας εἶναι· τοὺς δὲ κυβεύοντας ἤ τι ἄλλο πονηρόν τε καὶ ἐπιζήμιον ποιοῦντας ἀργοὺς ἀπεκάλει.* *Mem*. I. 2. §. 56. Huius laudare solebat

κὰδ δύναμιν ἔρδειν ἱερ' ἀθανάτοισι θεοῖσι. Op. et D. vs. 336.

imprimis vitae semper illud et ubique utilissimum *κὰδ δύναμιν ἔρδειν*. *Mem*. I. 2. §. 3. Cf. etiam IV. 3. §. 16. Ubi de constantia et labore, quo ad virtutem enitendum sit, disputabat, haud ille immemor plane egregiae illius sententiae *Oper. et Dies*. vs. 287 *sqq*.

Τὴν μὲν γὰρ κακότητα καὶ ἰλαδὸν ἔστιν ἑλέσθαι
Ῥηϊδίως· λείη μὲν ὁδὸς, μάλα δ' ἐγγύθι ναίει.

Τῆς

(9) Cf. Plutarch. in *Pericl*. Cap XVI et XXXVI.

(10) Cimonem narrabat *οὔτε μουσικὴν οὔτε ἄλλο τι μάθημα τῶν ἐλευθερίων καὶ τοῖς Ἕλλησιν ἐπιχωριαζόντων ἐκδιδαχθῆναι· δεινότητός τε καὶ στωμυλίας Ἀττικῆς ὅλως ἀπηλλάχθαι.* Plutarch. in *Cim*. Cap. IV. Id. in *Pericl*. XIII. *Στησίμβροτος ὁ Θάσιος δεινὸν ἀσέβημα καὶ μυθῶδες ἐξενεγκεῖν ἐτόλμησεν εἰς τὴν γυναῖκα τοῦ υἱοῦ κατὰ τοῦ Περικλέους.* Athen. l. ex eo ita de *Pericle* *ἦν δὲ οὗτος ἀνὴρ πρὸς Ἀφροδίσια πάνυ καταφερὴς, ὅστις καὶ τῇ τοῦ υἱοῦ γυναικὶ συνῆν.*

(11) *Οὐκ εὖ τῶν χρόνων ἁπτόμενος* dicitur a Plutarcho in *Themist*. Cap. II. ubi ejus errorem redarguit.

Τῆς δ' ἀρετῆς ἱδρῶτα θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκαν
Ἀθάνατοι· μακρὸς δὲ καὶ ὄρθιος οἶμος ἐπ' αὐτὴν
Καὶ τρηχὺς τὸ πρῶτον, ἐπὴν δ' εἰς ἄκρον ἵκηται
Ῥηϊδίη δ' ἤπειτα πέλει, χαλεπή περ ἐοῦσα.

Mem. II. 1. §. 20. quod splendidum dictum dici non potest, quantopere veteres philosophi celebraverint. Cff. Plato *Rep.* II. pag. 364. C. *de Legg.* IV. p. 718. E. *Protag.* p. 340 D. Eo respexisse videtur Socrates in colloquio cum Callisto meretrice apud Aelian. in V. H. XIII. 32.

Inter recentiores, qui graves et vitae salutares sententias metro includerent, primi sunt Theognis Megarensis et Epicharmus Siculus.

Theognidis *παραινέσεις* Athenis omnibus erant notissimae; hinc proverbiale dictum de re aperta et cuivis nota:

Τουτὶ μὲν ᾔδειν πρὶν Θέογνιν γεγονέναι. (12)

Hujus celeberrimi fama versiculi laudantur *Symp.* II. §. 4.

Ἐσθλῶν μὲν γὰρ ἄπ' ἐσθλὰ διδάξεαι· ἢν δὲ κακοῖσι
Συμμιγέῃς, ἀπολεῖς καὶ τὸν ἐόντα νόον. *Theogn.* vs. 35 *sq.*

quae sine Theognidis nomine repetuntur *Mem.* I. 2. §. 20. Laudantur etiam à Platone *Menon.* p. 95. D. et recentioribus permultis.

Sunt, qui ad Theognidem referant versiculum, qui *Mem.* 1. 1. subjungitur

Αὐτὰρ ἀνὴρ ἀγαθὸς τοτὲ μὲν κακός, ἄλλοτε δ' ἐσθλός.

qui citatur etiam sine nomine a Platone in *Protag.* p. 344. D, ubi, laudato Simonidis carmine, addit: *τῷ μὲν γὰρ ἀγαθῷ ἐγχωρεῖ κακῷ γενέσθαι, ὥσπερ καὶ παρ' ἄλλου ποιητοῦ μαρτυρεῖται τοῦ εἰπόντος· Αὐτὰρ ἀνὴρ κ. τ. λ.*

Sed neque in nostris Theognidis Edd. legitur, et si ejusdem esset, Xenophon *ὃ καὶ λέγων* aut simile quid scripsisset; ut vero nunc legitur, indicatur alius Poëta, qui tamen quis fuerit, non constat (13).

Quam-

(12) A. Gellius N. A. I. 3. » *Hoc profecto nemo ignoravit, etiam priusquam Theognis, ut* » *Lucilius ait, nasceretur.*" Interpretes et Erasmus in *Adagiis* in alia omnia abeunt, et accipiunt de frigido quodam Poëta Tragico, de quo vide Suidam in v. Sed multo simplicius est referre ad sententias Theognidis Megarensis, quae omnium manibus terebantur et a puerulis in scholis edisci solebant, quam ad ineptum Poëtastrum, a quo nemo unquam quidquam didicerat.

(13) [Sunt, qui credant Xenophontem ipsum peculiarem librum *περὶ Θεόγνιδος* composuisse, auctoritate Pseudo-Plutarchi *de Nobilitate* Cap. XV. *ταῦτα μὲν Θεόγνιδος περιφέρεται τοῦ Μεγαρέως, ὡς Ξενοφῶν λέγει* (ita recte emendavit *Wyttenbachius* corrupta *ὡς ὁ Μεγαρεὺς Ξενοφῶν λέγει*) *οὗτος ὁ ποιητὴς κ. τ. λ.* quae paulo immutata habet Stobaeus *Tit.* 88. 14. Ed.

Quamvis in diverso argumento, idem egit EPICHARMUS Siculus, in socco philosophus; qui quum, Pythagoream disciplinam amplexus, propter Hieronem, quem acerbius perstrinxerat (14), palam philosophiae dare operam non auderet, ad Comoedias scribendas animum ita appulit, ut praecepta et monita ex imo philosophiae Pythagoricae fonte petita versibus includeret (15): quare *princeps Comoediae* audit Platoni in *Theaeteto* pag. 152 E. οἱ ἄκροι τῆς ποιήσεως ἑκατέρας, κωμῳδίας μὲν Ἐπίχαρμος, τραγῳδίας δὲ Ὅμηρος. Hujus sententias et graviter dicta Plato, qui, si Laërtio fides III. 10. plurima ei retulit accepta, passim memorat; Xenophon uno tantum in loco *Mem.* II. 1. §. 20. hanc ex eo habet sententiam

Τῶν πόνων πωλοῦσιν ἡμῖν πάντα τἄγαθ' οἱ θεοί. (16)

de qua omnia continet exquisita *Ruhnkenii* V. Cl. ad h. l. animadversio. Qui hunc excipit Trochaicus

ὦ πονηρὲ, μὴ τὰ μαλακὰ μώεο, μὴ τὰ σκλήρ' ἔχῃς.

quamvis Epicharmi gravitate dignissimus, tamen ab hoc loco alienus est et merito a Valcken. ad *Herod.* II. 117. pag. 157. ejicitur.

Prae-

Ed. Gaisf., apposito lemmate, Ξενοφῶντος ἐκ τοῦ περὶ Θεόγνιδος. Sed Xenophon Theognidis interpretem agere et commentarios in Theognidem edere non potuit. Theognidis illustrem aliquem locum vel ex Socratis vel ex sua persona copiosius enarrare potuit: unde suspicimus, locum illum ex Memorabilibus (ut quae Xenophon, uti constat, multis partibus auctiora ediderit, quam nunc habemus esse desumtum et pertinuisse ad disputationem aliquam de Nobilitate: hanc interpretationem locus ipse mirifice adjuvat: et lemmatibus Stobaei quam nihil auctoritatis sit tribuendum, constat inter omnes.

Idem videtur statuendum de libro Antisthenis περὶ Θεόγνιδος, qui pars erat Libri III. τοῦ Προτρεπτικοῦ. Diog. Laërt. VI. 16. Sic in Platonis Protagora erat pars περὶ Σιμωνίδου; atque ita in aliis.]

(14) Cf. Plutarch. *de adulatore et amico* Cap. XXXVII.

(15) Classicus hac de re locus est apud Jamblichum in *vita Pythagorae* §. 266. τῶν δ' ἔξωθεν ἀκροατῶν (λέγουσι) γενέσθαι καὶ τὸν Ἐπίχαρμον, ἀλλ' οὐκ ἐκ τοῦ συστήματος τῶν ἀνδρῶν· ἀφικόμενον δὲ ἐς Συρακούσας διὰ τὴν Ἱέρωνος τυραννίδα τοῦ μὲν φανερῶς φιλοσοφεῖν ἀποσχέσθαι, ἐς μέτρον δ' ἐντεῖναι (ita Wyttenb. pro vulg. ἐνεῖναι) τὰς διανοίας τῶν ἀνδρῶν μετὰ παιδιᾶς ἐκφέροντα τὰ Πυθαγόρου δόγματα. Cf. omnino Diog. Laërt. in *Platone* III. 10—12, 14—17.

(16) Ita versus constituendus est. Nam est Trochaicus Tetrameter Catalecticus, quales in sententiis usurpare solet Epicharmus. Minus recte igitur Interpretes et Editores fecere Jambicum, ita constituendo

τῶν πόνων
Πωλοῦσιν ἡμῖν πάντα τἄγαθ' οἱ θεοί.

Praeter Poëtas hujus generis, alii pauci in Xenophontis libris commemorantur, quorum primus nobis esto

Melanippides, quem Aristodemus *Mem.* I. 4. §. 2. in Dithyrambis prae reliquis admiratur omnibus, ubi ait: *ἐπὶ μὲν τοίνυν ἐπῶν ποιήσει Ὅμηρον ἔγωγε μάλιστα τεθαύμακα, ἐπὶ δὲ διθυράμβῳ* (17) *Μελανιππίδην.* Hujus Poëtae res quum aliquanto obscuriores et confusae sint, paucis illustrare conabimur.

Hujus nominis duo Poëtae in Graecia floruerunt. Suidas: *Μελανιππίδης Κρίτωνος, γεγονὼς κατὰ τὴν ξέ Ὀλυμπιάδα, Μήλιος* (18)*· ἔγραψε δὲ διθυράμβων βιβλία πλεῖστα καὶ ποιήματα ἐπικὰ καὶ ἐπιγράμματα καὶ ἐλεγεῖα καὶ ἄλλα πλεῖστα.* De altero Idem: *Μελανιππίδης, θυγατριδοῦς τοῦ πρεσβύτου, παῖς δὲ Κρίτωνος, λυρικοῦ καὶ αὐτοῦ· ὃς ἐν τῇ τῶν διθυράμβων μελοποιΐᾳ ἐκαινοτόμησε πλεῖστα καὶ διατρίψας παρὰ Περδίκκᾳ ἐκεῖ τὸν βίον κατέστρεψεν· ἔγραψε καὶ αὐτὸς ᾄσματα λυρικὰ καὶ διθυράμβους.* quem locum vitio laborare apparet: malim *τοῦ πρεσβύτου, παιδὸς Κρίτωνος, λυρικὸς καὶ αὐτός.* Jam vero difficile est, uter hic intelligatur, statuere. Qui Melanippidem laudaverunt veteres, Aristoteles, Plutarchus, Athenaeus, Clemens Alexandrinus unum tantum cognovisse videntur. Viri Docti nihil definiunt. Pronior tamen sum in eam sententiam, ut nepotem hic intelligi putem. Nempe quum avus per omnia carminum genera fuerit vagatus, facile est conjicere, non tantam eum sibi dithyrambis comparasse famam, quantam nepotem, qui unice in Lyrico et Dithyrambico genere elaboraverit, quique adeo multa plane nova induxerit; quo referam illud, eum pro brevioribus Prooemiis longiores carminibus praemisisse Anabolas, unde παρῳδία notissimi versiculi Hesiodei Oper. et D. vs. 266.

ἡ δὲ μακρὰ 'ναβολὴ τῷ ποιήσαντι κακίστη

(17) Malim *ἐπὶ δὲ διθυράμβων* scil. *ποιήσει*: vix enim dicitur *διθύραμβος*, ut *ἔπος*, *μέλος*, sed *διθύραμβοι*, ut *ἴαμβοι*, *ἀνάπαιστοι*. Erroris fons est ι olim adscriptum, deinde subscriptum. Cff. Valck. ad *Phoen.* vs. 397. Pierson. *Verisim.* p. 28. qua ratione multi adhuc loci corrupti latent. Unum adscripsisse sufficiat. Menander apud *Clem. Alexandr. Strom.* IV. pag 421.

παίδων σπόρῳ τῶν γνησίων
Δίδωμι σοίγε τὴν ἐμαυτοῦ θυγατέρα.

Dubito an Graecum sit *σπόρῳ* pro *ἐπὶ σπόρῳ* vel *ἐς σπόρον*: articulo *τῶν* hic locus non est. Restituenda igitur elegans et solemnis formula:

παίδων ἐπ' ἀρότῳ γνησίων

de qua passim viri docti; cf. omnino Hemsterhusius ad *Lucian.* D. S. pag. 128.

[Adde, quos laudat vir cl P. Hofman Peerlkamp in *Bibl Crit. Nova* Tom. I. pag 96.]

(18) Apud Athen II. p. 35 A. XIV. p. 651 F. olim edebatur *Μιλήσιος*, ubi *Schweigh.* ex codd. *Μήλιος* restituit.

a *Democrito Chio* in eum jactata, ut auctor est Aristot. in *Rhet.* III. 9; qui denique Perdiccae et, ut ex obscuro Plutarchi loco colligi potest (19), etiam Archelao fuerit acceptissimus. Videtur etiam Aristodemus l. l. praeter unum Homerum, quem hic omitti erat nefas, eos demum admirari, qui sua maxime aetate florerent; Sophoclem, Polycletum, Zeuxin. Fuit autem Melanippides aqualis Socrati, quod ex avi aetate, qui Olympiade LXV^a vixit, facile efficitur et confirmatur auctoritate Praxiphanis apud Marcellinum in *vita Thucydidis* pag. 5. Ed. Duck., qui eum aequalem facit Platoni Comico, Agathoni, Nicerato. Quae si probabiliter sunt disputata, facilis est conjectura antiquioris Melanippidis non carmina Epica tantum, Epigrammata et Elegias et alia permulta jam olim periisse, sed Dithyrambos quoque in tenebris latuisse, quaeque a Veteribus ex Melanippide laudantur, ea omnia ad nostrum Melanippidem esse referenda; cujus quam clarum fuerit nomen vel ex Xenophontis loco apparet, et ex Plutarcho, qui l. l. ipsius mentionem cum Simonide et Euripide conjungit.

Hoc quoque novasse in Musica videtur, ut lyrae duodecim choras adaptarit, atque ita molliorem reddiderit et remissiorem. Audiamus ipsam apud Pherecratem comicum ita conquerentem:

> Ἐμοὶ μὲν ἦρξε τῶν κακῶν Μελανιππίδης
> Ἐν τοῖσι πρώτοις, ὃς λαβὼν ἀνῆκέ με,
> Χαλαρωτέραν τ' ἐποίησε χορδαῖς δώδεκα.

ut est apud Plutarchum *de Musica* Cap. XXX. Ed. Tauchn.

Ceterum miror, unde factum sit, ut viri doctissimi Melanippidem ad Tragicos retulerint; quod praeter Fabricium in B. G. fecere H. Grotius *in Excerptis* pag. 454. Heynius *ad Apollodori fragm.* pag. 392. Not. Nam laudantur quidem ejus *Marsyas* apud Athen. XIV. p. 616. E. *Proserpina* in Apollod *Fragm.* p. 1047. Heyn. *Danaides.* Athen. XIV. p. 651. F. sed sunt omnia carmina Lyrica, ut fragmenta subjecta ostendunt; v. g. ex Marsya (20)

> ἁ μὲν Ἀθάνα
> Ὄργαν' (tibiam) ἔῤῥιψεν θ' ἱερᾶς ἀπὸ χειρὸς
> Εἶπέ τ'· ἔῤῥετ' αἴσχεα, σώματι λύμα
> Ἤ με τᾷδ' ἐγὼ κακότατι δίδωμι.

Et

(19) Plutarchi locus est in libro: *Non posse suav. vivi sec. Epic.* Cap. XIII. Οὐδὲ γὰρ Ἱέρων γ' ἄν, οὐδ' Ἄτταλος οὐδ' Ἀρχέλαος ἐπείσθησαν Εὐριπίδην καὶ Σιμωνίδην καὶ Μελανιππίδην καὶ Κράτητας καὶ Διοδότους ἀναστήσαντας ἐκ τῶν συμποσίων κατακλῖναι Κάρδακας κ. τ. λ. Plutarchus autem, ut solent in iis Veteres, non certum ordinem in nominibus ita disponendis secutus est. Incertum igitur ad quem quisque sit referendus.

(20) [Ita hosce versus G. Dindorf, qui nuperrime Athenaeum edidit, emendavit et suis numeris restituit, cujus lectionem recepimus.]

Et sic in reliquis (21); neque umquam Tragicus audit Veteribus, sed *ὁ τῶν διθυράμβων ποιητὴς*, ut est ap. Plutarchum l. l. aut *μελοποιὸς*, ap. Clem. Alexandr. *Strom.* V. p. 602.

Praeter loca, quae jam indicavimus, Melanippidis fragmenta leguntur apud Plutarch. in *Amator.* Cap. XIV. Athen. V. p. 429. C. Clem. Alexandr. *Strom.* V. p. 257.

Ut in Lyricis Melanippidem, ita in Tragicis SOPHOCLEM admiratur Aristodemus. *Mem.* l. l. cujus sententiae et Veteres omnes et Recentiores subscripserunt. Quamvis enim philosophi et maxime Socrates (vid. Aelian. V. H. II. 13.) Euripidem propter utilissimas vitae sententias, quibus tamen saepe Tragoedias oneravit magis quam ornavit, unice probarent; quamvis ipse Apollo, eadem, opinor, de causa, magnam Sophocli, at majorem Euripidi sapientiae laudem impertiretur:

Σοφὸς Σοφοκλῆς, σοφώτερος δ' Εὐριπίδης.

tamen *ὁ Ὁμηρικὸς ζηλωτὴς*, si Poëseos Tragicae rationem spectamus, et orationis dulcedine et gravitate et affectibus movendis et arte, quae vocatur, Tragica, Princeps et habitus est et habendus.

Ceterum Sophoclis in Xenophonte nulla mentio: nisi quod Ruhnkenius V. Cl. in *Mem.* IV. 2. §. 2. *πότερον Θεμιστοκλῆς διὰ ξυνουσίαν τινὸς τῶν σοφῶν ἢ φύσει τοσοῦτον διήνεγκεν* alludi existimet ad nobilissimum illud Sophoclis (22)

Σο-

(21) Luculentius etiam hoc apparet ex fragmento e Danaidibus petito, quem locum, quum etiam post Casauboni curas corruptus sit, paucis hic emendare conemur. In Athenaeo olim ita legebatur: *Μελανιππίδης ὁ Μιλήσιος ἐν ταῖς Δαναΐσιν φοίνικας τὸν καρπὸν οὕτως ὀνομάζει τὸν λόγον ποιούμενος περὶ αὐτῶν· τῶν γὰρ αΐδων, οὐ γὰρ ἀνθρώπων φόρευν μορφὰν ἔνειδος, οὐδὲ τὰν αὐτὰν γυναικείαν ἔχον κ. τ. λ.* Casaubonus pag. 228. emendat: *τῶν γὰρ αΐδων, οὐκ ἀνθρώπων φόρευν μορφὰν καὶ εἶδος οὐδὲ τὰν αὐδὰν γυναικείαν ἔχον.* Priora ita interpretatur: „*Plutonicam istae non humanam formam ac speciem gerebant.*" quae, pace tanti viri esto dictum, vix capio. Malim totum locum levi mutatione, literarum ductus secutus, ita constituere: *Μελανιππίδης ὁ Μήλιος ἐν ταῖς Δαναΐσιν φοίνικας τὸν καρπὸν αὐτῶν* (palmarum, de quibus ibi agit Athenaeus) *ὀνομάζει, οὕτω τὸν λόγον ποιούμενος περὶ αὐτῶν τῶν Δαναΐδων·*

Οὐ γὰρ ἀνθρώπων φόρευν μορφὰν εὐειδέα
Οὐδὲ κ. τ. λ.

Quae ex carmine Lyrico esse desumta, perspicuum est.

(22) Hunc versiculum *Euripidi* tribuit Plato, unde nonnulli existimaverunt Platonem invidia ductum, nomen Poëtae mutasse: sed Cf. Groen pag. 158. Fuisse revera *Sophoclis* versiculum, praeter auctores a Groen l. l. citatos disertissime affirmat Schol. Aristoph. *ad Thesmoph.* vs. 21

οἷόν τί που 'στιν αἱ σοφαὶ συνουσίαι

ubi annotat: *διὰ τούτου φαίνεται ὁ Ἀριστοφάνης ὑπονοῶν Εὐριπίδου εἶναι τὸ*

Σο-

Σοφοὶ τύραννοι τῶν σοφῶν συνουσίᾳ.

Sed vereor, ne Viro Cl. in his ingens doctrina et varia et diffusa lectio fuerit fraudi. Nam in his verbis nihil est, neque in sententia, quod poëticum referat colorem, imo nihil, quin cuivis in hoc argumento statim occurrat; neque allusio ulla esse potest, quae non sentitur.

Denique nominatur *Symp.* VIII. §. 32. AGATHO poëta, Pausaniae amasius: quorum igitur mentionem conjungemus. Et bellus quidem Agatho, qui non tantum Pausaniae Aelian. V. H. II. 21, sed etiam Euripidi. Id. *ibid.* XIII. 4. et Platoni in deliciis fuit, A. Gell. N. A. XIX. 2. Diog. Laërt. III. 32. ex Platone et Aristophane notior est, quam ut ea repetamus, quae dudum occupata sunt a *Kuhnio* et *Perizonio* ad Aelian. V. H. II. 21. et XIV. 13. et *Groen.* p. 166 *sqq.*

De PAUSANIA vero et exigua tantum constant, et quae habent Plato et Xenophon inter se pugnare videntur. Dicitur ὁ ἐκ Κεραμέων a Platon. *Protag.* p. 315. D. Cf. Aelian. V. H. II. 21. ibique Intt.; maxime amore in Agathonem nobilitatus, quem ad provectiorem usque aetatem deamavit et in Macedoniam ad Archelaum secutus est. Vid. Aelian. l. l. Hinc, quamvis in auctorum veterum silentio, haud est veri dissimile, Pausaniam illum, genere et opibus beatum, poëseos et literarum amantem, ipsum quoque aliquam iis dedisse operam. Nam et Protagorae aderat auditor, Plat. l. l. et colligi potest ex oratione, quam apud Platonem in *Symposio* p. 180 C *sqq.* habet de Amore duplici; ubi imprimis ultima verba: ταῦτά σοι, ἔφη, ὡς ἐκ τοῦ παραχρῆμα, ὦ Φαῖδρε, περὶ Ἔρωτος συμβάλλομαι, haud obscure arguunt, eum et alias, non autem ἐκ τοῦ παραχρῆμα orationes concinnasse. Quae a Platone disputans inducitur, iis longe diversa, imo plane sunt contraria, quae Socrates apud Xenophontem *Symp.* l. l. ipsi tribuit. Minime ille apud Platonem est ἀπολογούμενος ὑπὲρ τῶν ἀκρασίᾳ συγκυλινδουμένων, imo, his spretis, eos commendat, qui honesto in egregios adolescentes amore, Veneris coelestis filio, calentes, non florem corporis, sed animi bona et virtutem in iis deamant.

Qui igitur fieri potuit, ut ex Pausaniae *de Amore Puerorum* libro sua uterque hauserit, aut ut Xenophon (quod dicere non erubuit Athenaeus V. p. 216. F.) haec omnia fuerit ementitus, aut, quod idem suspicatur, in aliter scriptum Platonis Symposion inciderit?

In re tam dubia, quae tantos viros exercitos habuit cff. Casaub. ad *Athen.* p. 282. Groen.

Σοφοὶ τύραννοι τῶν σοφῶν συνουσίᾳ.

Ἔστι δὲ Σοφοκλέους ἐξ Αἴαντος Λοκροῦ. ἐνταῦθα μέντοι ὑπονοεῖ μόνον, ἐν δὲ τοῖς Ἥρωσιν ἀντικρὺς ἀποφαίνεται. καὶ Ἀντισθένης καὶ Πλάτων Εὐριπίδου αὐτὸ εἶναι ἡγοῦνται, οὐκ ἔχω εἰπεῖν, ὅ, τι παθόντες.

Groen. pag. 207. vix nostram opinionem proferimus. Ac nobis quidem ex iis, quae modo disputavimus, probabile videtur, Pausaniam, virum imprimis *ἐρωτικὸν*, sive ut ingenii specimina ederet, sive quo magis Agathonem suum sibi conciliaret, de amatoriis istiusmodi argumentis, saepius disseruisse; quae quidem *ἐπιδείξεις* quamvis non scripto mandatae, tamen adeo forte erant celebres, ut et Plato et Xenophon in eo potissimum argumento versantes, Pausaniae uterque auctoritate fuerint usi. Fieri autem potest, ut Pausanias in utramque sententiam disputaverit: ut primum, Agathonem sibi conciliare cupiens, honesti amoris celebraverit laudes; mox, his non acquiescens, *τὸ χαρίζεσθαι ἐρασταῖς*, anceps illud et ambiguum, aliter explicuerit, et ibi Thebanorum et Eleorum exemplis, quae Xenophon habet, fuerit usus.

Atque sic conciliari posse videntur duo philosophi: sic facili negotio diluuntur iniquae maledicentissimi Athenaei in Xenophontem criminationes Lib. V. pag. 216. E.

Atque ita de poëtis dicendi finem facere potuissemus; (nam Melitus quidem quavis re quam poësi famosior) sed neque ab hoc loco alienum est, et Xenophontem legentibus haud prorsus inutile, verbo hic indicare pauca Poëtarum dicta, ad quae Xenophon aut alluserit, aut, omisso nomine, expresserit.

Et de SOPHOCLIS quidem versiculo supra vidimus. Certior est allusio ad ARISTOPHANIS dicterium in *Symp.* VI. § 8. ubi Syracusanus homo, invidia in Socratem ductus, ita eum acerbo convicio proscindere voluit: *ἀλλ' εἰπέ μοι*, inquit, *πόσους ψύλλα πόδας ἐμοῦ ἀπέχει; ταῦτα γάρ σέ φασι γεωμετρεῖν.* ubi Interpretes ad unum omnes desumtum esse annotarunt ex Aristophanis *Nubibus* vs. 146 *sqq.* et hoc quidem *σκῶμμα* notissimum est. Sed in Xenophonte praeter pulicis mentionem sunt alia omnia. Wieland igitur pro *ἀπέχει* audacter reponit *ἅλλεται* vel, si malis, *ἀναπηδᾷ*. Ergo *ἐμοῦ* in *ἑαυτῆς* mutandum. Hoc quidem est vim inferre. Leni mutatione et aptissimam ei loco sententiam et Aristophanis joco plane respondentem restituas, si legas: *πόσους ψύλλης πόδας ἐμοῦ ἀπέχεις*; (23) Audiamus ipsum comicum

'Ανή-

(23) [Haud sine aliqua voluptate deinde comperi, virum acutissimum Jacobs. in *Addit. Animadv. in Athenaeum* pag. 134. in eandem fere sententiam incidisse: statuit legendum esse: „*πόσους ψύλλου πόδας ἐμοῦ ἀπέχεις*; *Dicitur autem ψύλλα et ψύλλος.*" Quae emendatio et facilior est (nam *α* et *ου* in MSS. permutari in vulgus notum) et vero etiam alia de causa speciosior. Nam *ψύλλος*, Atticis inauditum, non adeo communis Dialecti est, Cff Schol. ad *Aristoph. Nubes* vs. 145. Moer. Attic. pag. 418. Piers.; sed vox Sicula, qua Epicharmum usum fuisse constat ex Suida, Hesychio, Photii *Lexico* in v.: qua igitur opportune Xenophon utentem facit Syracusanum istum hominem, qui etiam alibi sua Dialecto loquens inducitur v. g. *Symp.* IX. §. 2. *παιξοῦνται*, quod abhorrere a consuetudine Attica, docet Hemsterh. ad *Arist. Plutum* pag. 390.]

Ἀνήρετ' ἄρτι Χαιρεφῶντα Σωκράτης
Ψύλλαν ὁπόσους ἅλλοιτο τοὺς αὑτῆς πόδας·
Δακοῦσα γὰρ τοῦ Χαιρεφῶντος τὴν ὀφρὺν
Ἐπὶ τὴν κεφαλὴν τὴν Σωκράτους ἀφήλατο.

Qua gravi quaestione soluta, nihil aliud comperit, nisi *πόσους ψύλλης πόδας Χαιρεφῶντος ἀπεῖχεν.*

Certa quoque nobis videtur conjectura *τοῦ πάνυ* **Ruhnkenii** censentis Xenophontem in *Mem.* I. 3. §. 4. *οἵτινες παρὰ τὰ ὑπὸ τῶν Θεῶν σημαινόμενα ποιοῦσί τι, φυλαττόμενοι τὴν παρὰ τοῖς ἀνθρώποις ἀδοξίαν*, ob oculos habuisse nobile IBYCI dictum, quod habet **Plato** in *Phaedro* p. 243 B. *καί πως ἐδυσωπούμην μή τι παρὰ θεοῖς ἀμπλακὼν τιμὰν πρὸς ἀνθρώπων ἀμείψω.* illustratum ab eodem ad *Timaeum* in v. *δυσωπεῖσθαι* pag. 90.

Non unius Comici dicta respicit *Oecon.* XI. §. 3. Socrates, ubi de se ipse: *πῶς ἂν δικαίως μεταῤῥυθμισαίμι —— ὢν ἀνήρ, ὃς ἀδολεσχεῖν τε δοκῶ καὶ ἀερομετρεῖν, καὶ τὸ πάντων δὴ ἀνοητότατον δοκοῦν εἶναι ἔγκλημα, πένης καλοῦμαι.* Saepius enim Comicis *ἀδολέσχης* et *πτωχὸς* audierat Philosophus. EUPOLIS, cuius locum habet exquisita *Ruhnkenii* ad *Mem.* I. 2. §. 31. animadversio, quemque **Wyttenbachius** ad *Platonis Phaedon.* p. 175 *sq.* ita in suos numeros restituere conatus est (24):

Τί δῆτ' ἐκεῖ τιν' ἀδολέσχην πτωχὸν οἶσθ',
Ὃς τἄλλα μὲν πεφρόντικ'. ὅθεν φαγεῖν δ' ἔχοι
Τούτου κατημέληκε

et Idem Comicus *ibid.* ex Comm. MS. **Procli** in Platonis Parmenidem. (25)

Μισῶ δὲ καὶ τὸν Σωκράτη, τὸν πτωχὸν ἀδολέσχην.

In

(24) [**Olympiodorus**, in Comm. MS. in Phaedonem ap. *Ruhnk.* l. l. hanc praebet lectionem: *τί δῆτα ἐκεῖνον τὸν ἀδολέσχην καὶ πτωχόν, ὃς τἄλλα μὲν πεφρόντικεν· ὁπόθεν καταφαγεῖν ἔχοι, τούτου δὲ κατημέληκε.* Numeri, quos *Wyttenbachius* restituit, non admodum sunt numerosi Durissimum est illud *οἶσθ'* et sine exemplo, ni fallor, in fine senarii. Fortasse duo haec Eupolidis fragmenta sunt conjungenda et in hunc modum constituenda:

Μισῶ δ' ἐκεῖνον Σωκράτη, τὸν πτωχὸν ἀδολέσχην,
Ὃς τἄλλα μὲν πεφρόντικεν —— —— —— —— ——
Ὁπόθεν δὲ καταφαγεῖν ἔχοι, τούτου κατημέληκε

Versus sunt Iambici Tetrametri Catalectici, quales passim habet **Aristophanes** v. g. in *Pluto* vs. 253.

Ὦ πολλὰ δὴ τῷ δεσπότῃ ταὐτὸν θύμον φαγόντες.]

(25) [Quem edidit in Tom. IV. operum Procli doctiss. **Victor. Cousin.** Paris. 1821. ubi hic locus legitur pag. 50.]

In verbo *ἀερομετρεῖν* haud scio an respexerit celeberrimum illud Aristophaneum ex *Nubibus* vs. 225.

Ἀεροβατῶ καὶ περιφρονῶ τὸν ἥλιον.

[Cf. etiam Plato in *Apolog.* p. 19 C.]

Unum denique adscribamus locum EUBULI Comici, fucorum usum, cui nimium Atticae mulieres indulgebant, graviter increpantis: quem locum Xenophon, quum eadem agit *Oecon.* X. §. 2. et §. 8. non ignorasse videtur.

Locus est ex ipsius *Στεφανοπώλισιν* ap. Athen. XIII. p. 557 F. sed aliquanto turbatus et ex metri legibus ita constituendus:

Μὰ Δί' οὐχὶ περιπεπλασμέναι ψιμμυθίοις
Οὐδ' ὥσπερ ὑμεῖς συκαμίνῳ τὰς γναθοὺς
Κεχρισμέναι· κἂν ἐξίητε τοῦ θέρους
Ἀπὸ τῶν (μὲν) ὀφθαλμῶν ὑδρορρόαι δύο
Ῥέουσι μέλανος, ἐκ δὲ τῶν γναθῶν ἱδρὼς
Ἐπὶ τὸν τράχηλον ἄλοκα μιλτώδη ποιεῖ,
Ἐπὶ τῷ προσώπῳ δ' αἱ τρίχες φορούμεναι
Εἴξασι πολιαῖς ἀνάπλεω ψιμμυθίου.

Praeter haec loca fere constat, alia plurima in Xenophonte extare, in quibus Poëtarum omnis generis aut allusio aut imitatio insit. Sed de his certum quid statuere eius demum est, cui iudicium assidua et recta Veterum lectione plane est subactum. Istiusmodi igitur suspiciones, si quae nobis inter legendum subnascerentur, silentio premere maluimus, quam audacter et temere aliquid statuere.

PARS SECUNDA.

DE PHILOSOPHIS ET SOPHISTIS.

SECTIO PRIMA.

DE PHILOSOPHIS.

De his, si unum Socratem exceperis, exigua tantum nobis erunt observanda. Nam fere unius Socratis in Xenophonte res agitur: ex antiquioribus solus Anaxagoras obiter alicubi memoratur: ceteris, qui ex Socratica disciplina erant profecti, raro tantum, ubi

ubi sermonum opportunitas ita ferebat, partes aliquae tribuuntur. In paucis tamen hisce Xenophon, quid de singulis sentiret, libere declaravit, neque tantum, si quem amaret et admiraretur, eum laudibus celebrat, sed si quis etiam ipsi non probaretur, hunc et obscure, tamen ut intelligi posset, et aperte carpere non dubitat. Ex his igitur, quae ad illorum notitiam illustrandam facere possint, accurate colligere conabimur.

Ex iis, qui Socratem aetate praecesserunt, unus memoratur ANAXAGORAS *ὁ μέγιστον φρονήσας ἐπὶ τῷ τὰς τῶν θεῶν μηχανὰς ἐξηγεῖσθαι*. *Mem*. IV. 7. §. 6. cujus in philosophando rationem, ut ceterorum omnium, qui « in rebus occultis et ab ipsa natura « involutis" (Cf. *Mem*. l. l.) omnem operam ponerent, Socrates non probabat. Cf. omnino *Mem*. I. 1. §. 11—16. Acriter l. l. carpit ejus placitum *τὸν ἥλιον λίθον διάπυρον εἶναι*: quod variis argumentis probat esse ineptum. Idem placitum memorat Diog. Laërt. II. 8. *ἔλεγε τὸν ἥλιον μυδρὸν εἶναι διάπυρον καὶ μείζω τῆς Πελοποννήσου*. ubi vide *Menag*. et cff. quos laudat Davisius ad *Max. Tyr*. XXV. p. 595.

Hanc impietatem scilicet Athenienses non tulerunt. Philosophus hoc nomine accusatus est a Cleone, auctore *Sotione* ap. Diog. Laërt. II. 12. vel, ut *Satyrus* ibid. scribit, a Thucydide, Melesiae F., Periclis in rep. adversario, et vix, Pericle patrono usus, V talentis et exsilio mulctatus, cicutam effugit.

Merito quidem hocce placitum explosit Socrates, sed argumentis utitur haud ita firmissimis et nimis fortasse vocem *λίθον* urget. Neque erat, cur Ruhnkenius in Annot. MSS. ad h. l. ita severius judicaret: « *Anaxagoram Antiquitas Physici titulo ornavit*, « *sed praeter merita, ut vel absurdae, quae hic commemorantur, sententiae ostendunt*." Nam si vera est Cudworthi interpretatio in *System. Intell*. III. 24. et IV. 20. pag. 460, unice probata a V. Cl. Valckenario in *Diatr*. pag. 30 *sq*. Anaxagoram hoc placito tantum voluisse solem, ceteraque coelestia corpora et ipsa esse terrena, adeoque humano cultu indigna (1): de hujus judicii severitate multum est remittendum et quamvis Anaxagoras in densis suae aetatis tenebris et ipse saepe caecutierit, tamen aequalium suorum superstitiones rerum Physicarum studio in multis ita confutavit, ut ob haec magis admiratione quam ob illa vituperio dignus debeat videri. Cff. omnino Plutarch. in *Pericl*. Cap. VII. et Valcken. in *Diatr*. pag. 25 *sqq*.

Iam venimus ad illum, ad quem omnia in his Xenophontis libris referuntur, ad cujus me-

(1) Haec ipsa fuit Veterum nonnullorum sententia. Eusebius. *Praepar. Evangel*. XIV Cap. 14 pag 570. (Anaxagoras) *δόξας Ἀθηναίοις ἄθεος εἶναι, ὅτι μὴ τὸν ἥλιον ἐθεολόγει, τὸν δὲ ἡλίου ποιητήν, μικροῦ δεῖν καταλευσθεὶς ἀπέθανεν*. ubi animadvertendum *ἀθέους* fuisse Veteribus non tantum, qui Deos esse negarent, sed quicunque ab opinionibus de Diis vulgo receptis recederent. Cf. omnino Perizon. ad *Aelian*. V. H. II. 31.

memoriam et laudem pertinent omnia, ad Sophronisci et Phaenaretes F. Socratem.

Huius nobis imaginem duo praestantissimi discipuli, admiratione et grato animo in magistrum moti, Plato et Xenophon exhibent: egregiam uterque, sed in multis Platonicus Socrates nimium quantum a Xenophonteo est diversus. Hanc litem dirimere aut componere insignes ingenio et doctrina viri conati sunt: adolescentis non est, quem aetas impedit, vetat pudor: hic *ἐπέχειν* et necesse est et decorum. Ergo Xenophontei tantum Socratis imaginem pro virili parte referre conabimur. Xenophon carissimi magistri gratam pie recolens memoriam, candide, simpliciter eius dicta factaque exponit; quis dubitet an ex animo? an vere? Non is quidem, qui Xenophontem noverit, eum aut de suo addidisse aut affinxisse quaedam aut pro arbitrio mutasse suspicetur. Hunc igitur ita sequemur, non ut omnia, quae de Socrate habet, copiose exponamus, sed ut attingere nonnulla, verbo quaedam monere, in omnibus praecipua rerum capita libare, ut fert instituti nostri ratio, accurate et cum fide studeamus.

Socrates, Sophonisci statuarii et Phaenaretes obstetricis erat filius, Atheniensis, nec fortunae nec naturae bonis commendatus; nam pauper erat *Oecon.* XI. §. 3. bona sua omnia quinque minis aestimabat *Oecon.* II. §. 3. et adspectu turpis, prominentiore ventre deformis *Symp.* III. §. 9. et extantibus oculis, naso simo, ore enormi, crassioribus labellis *πάντων Σειληνῶν τῶν ἐν τοῖς Σατυρικοῖς αἴσχιστος.* *Symp.* IV. §. 9. quam ridiculam speciem lepidus *εἴρων* ipse describit, commendat, laudat. *Symp.* V. §. 5—8. Et paupertatem quidem tam aequo animo tulit, ut sibi in ea maximum vitae beatae praesidium habere videretur; *τὸ μὲν μηδενὸς δεῖσθαι* statuebat *θεῖον*, *τὸ δὲ ὡς ἐλαχίστων ἐγγυτάτω τοῦ θείου.* *Mem.* I. 6. §. 10; in cibo et potu erat simplex et facilis. *Mem.* I. 6. §. 2. *ibid.* I. 3. §. 6. *συνεβούλευε φυλάττεσθαι τὰ ἀναπείθοντα μὴ πεινῶντας ἐσθίειν μηδὲ διψῶντας πίνειν· καὶ γὰρ τὰ λυμαινόμενα γαστέρας καὶ κεφαλὰς καὶ ψυχὰς ταῦτ' εἶναι.* Cf. III. 14. in vestitu modicus *Mem.* I. 6. §. 2. ubi ad Socratem Antiphon Sophista *ἱμάτιον ἠμφίεσαι οὐ μόνον φαῦλον, ἀλλὰ τὸ αὐτὸ θέρους τε καὶ χειμῶνος, ἀνυπόδητός τε καὶ ἀχίτων διατελεῖς*: exiguis amicorum donis se suosque facile sustentabat (2) et deforme corpus habebat idem validum et robustum, ad quosvis labores perferendos et natura et exercitatione factum. Vid. *Mem.* I. 3. §. 5. et alibi. Nam validi corporis usum in omnibus belli pacisque rebus statuebat esse maximum: corpore aegro et infirmo debilitari animum, hebescere ingenii acumen. *Mem.* III. 12: hinc per totam vitam corporis curans, et sui quemque esse optimum medicum intelligens.

(2) Hujus rei nulla quidem in Xenophonte leguntur indicia, sed satis superque ex aliorum testimoniis constat. Hinc Aristippus, quum ipsi obiiceretur, quod Socratis discipulus acciperet mercedem *καὶ μάλα, εἶπε· καὶ γὰρ Σωκράτη, πεμπόντων αὐτῷ τινων καὶ σῖτον καὶ οἶνον, ὀλίγα λαμβάνοντα τὰ λοιπὰ ἀποπέμπειν· εἶχε γὰρ ταμίας τοὺς πρώτους Ἀθηναίων.*

gens, (vid. *Mem.* IV. 7. §. 9.) assidue se exercitabat, et quo melius totum corpus exerceret, domi saltare solebat. *Symp.* II. §. 16 *sqq.* Cff. Athen. I. p. 20. (3) Diog. Laert. II. 32.

Sed melius etiam ea mala et plus quam redimebant divitiae mentis, animi pulchritudo. Quum ante eum philosophi in eo potissimum essent occupati, ut quaererent *περὶ τῆς τῶν πάντων φύσεως* et *τίσιν ἀνάγκαις ἕκαστα γίγνεται τῶν οὐρανίων. Mem.* I. 1. §. 11. primus perspexit ineptum esse, antequam res humanas satis exploraverimus, ad res divinas, quas ipse Deus caliginosa nocte premere voluisset, illustrandas pergere. Cf. *Mem.* IV. 7. §. 6: ea omnia homini nato esse inaccessa, ita, ut, qui in iis maxime elaborassent, maxime inter se dissentirent: alii *ἓν μόνον τὸ ὂν* censerent, alii *ἄπειρα τὸ πλῆθος*, alii *ἀεὶ κινεῖσθαι πάντα*, alii *οὐδὲν ἄν ποτε κινηθῆναι*; alii *πάντα γίγνεσθαί τε καὶ ἀπόλλυσθαι*, alii *οὔτ' ἂν γενέσθαι ποτὲ οὐδὲν, οὔτε ἀπολεῖσθαι. Mem.* I. 1. §. 14. Ceterum nullum hinc in vitam humanam redundare utilitatis fructum: nam si vel maxime ea omnia nossent homines, numquam tamen fore, ut aut ventum aliquis aut pluviam aut tempestatem excitaret vel placaret. *Ibid.* §. 15. Neque tamen ipse harum rerum scientia plane carebat, nam et Geometriae peritus erat et Astronomiae, ut diserte affirmat Xenophon *Mem.* IV. 7. §. 4. 5: sed ea a limine salutari volebat, ad vitae usum revocari, non totam vitam in doctrinam sterilem impendi. *Mem.* I. I. « *Ipse autem primus philosophiam devocavit de coelo et in urbibus collocavit et in domos etiam introduxit: et coëgit de vita et moribus, rebusque bonis et malis quaerere.*"

Ὅτ,τι κεν ἐν μεγάροισι κακόν τ' ἀγαθόν τε τέτυκται.

Sed non solus in hunc campum descenderat. Eius imprimis aetate exorti erant in Graecia Sophistae, qui varia et diffusa eruditione, multarum rerum scientia insignes, sed imprimis facundia et copiose ornateque dicendi arte valentes, nil sibi negatum jactantes, hanc quoque cupide affectabant laudem, ut optimi vitae bene instituendae magistri haberentur. Quos cum Socrates videret inanis gloriolae et imprimis divitiarum avidissimos, virtutis aut nil nisi inanem speciem amplecti, quam splendidis orationibus, verbis magnificis et sonoris exornabant, aut etiam quo melius auditorum corruptis animis abblandirentur et gratiam captarent, virtutem omnem pessumdantes, ad vitae commoda et voluptatem, gratiam et divitias omnia referre: istorum doctrinae se acerrime opposuit, non ita magis, ut disputando ipsorum futiles aut vitae perniciosas opiniones confutaret, aut cavillando et iocando convelleret, sed vita, sed exemplo quantum isti

at

(3) Ubi Interpres verba *ἔλεγε τοῖς γνωρίμοις παντὸς εἶναι μέλους τὴν ὄρχησιν γυμνάσιον* miro errore vertit: « omnis *Musices* exercitationem."

a vero deflexissent, declararet. Istorum magnificis orationibus simplicissimam opponebat et efficacissimam disputandi rationem. *Mem.* IV. 4. istorum vanitati, superbiae, avaritiae modestiam, continentiam, totam, ut verbo dicam, vitam. Nam Socrati vita erat philosophia: *οὐδεὶς δὲ πώποτε Σωκράτους οὐδὲν ἀσεβὲς οὐδὲ ἀνόσιον οὔτε πράττοντος εἶδεν οὔτε λέγοντος ἤκουσεν.* *Mem.* I. 1. §. 11. cff. I. 1. §. 20. I. 2. §. 62 *sqq.* Is erat, qui ex animi conscientia de se ipse posset dicere *ἐγὼ οὐδενὶ ἀνθρώπων ὑφείμην ἂν οὔτε βέλτιον οὔτε ἥδιον ἐμοῦ βεβιωκέναι.* *Mem.* IV. 8. §. 6.

Elucet in Socrate temperantia, quam *ἀρετῆς κρηπῖδα* statuebat. *Mem.* I. 5. §. 4. intemperantia nihil esse censebat homini turpius, nil perniciosius. *Mem.* IV. 5. §. 4 cui intemperantia insit, in eo nullam inesse posse virtutem. *ibid.* §. 11. Eo nihil erat frugalius: etiam in lautioribus conviviis. *Mem.* I. 3. §. 5 *sq.* cf. *Symp.* II. §. 24 *sqq.*: in rebus venereis ita continentissimus *ὥστε ῥᾷον ἀπέχεσθαι τῶν καλλίστων καὶ ὡραιοτάτων ἢ οἱ ἄλλοι τῶν αἰσχίστων καὶ ἀωροτάτων.* *Mem.* I. 3. §. 14. Elucet iustitia, in cuius studio ipse totam se vitam transegisse affirmat. *Mem.* IV. 8. §. 4. cf. omnino IV. 4. §. 10: hanc ita definiebat: obtemperandum esse Legibus et Patriae et Divinis, quas ipse Deus animis nostris insculpserit. *Mem.* IV. 4. Elucet pietas erga Numen Divinum, de quo ea sentiebat, quae satis admirari et celebrare non possumus, at nunc verbo tantum possumus indicare.

Numen Divinum, mundi Parens et Sospitator, oculis humanis non cernitur. Egregium exscribamus locum e *Mem.* IV. 3. §. 13. *ὁ τὸν ὅλον κόσμον συντάττων τε καὶ συνέχων, ἐν ᾧ πάντα τὰ καλὰ καὶ ἀγαθά ἐστι, καὶ ἀεὶ μὲν χρωμένοις ἀτριβῆ τε καὶ ὑγιᾶ καὶ ἀγήρατον παρέχων, θᾶττον δὲ νοήματος ἀναμαρτήτως ὑπηρετοῦντα, οὗτος τὰ μέγιστα μὲν πράττων ὁρᾶται, τάδε δὲ οἰκονομῶν ἀόρατος ἡμῖν ἐστιν.*

Deus videt omnia, omnia audit, adest ubique, prospicit simul omnibus. *Mem.* I. 4. §. 19. cf. I. 1. §. 19. nihil Deum latet, nec dicta hominum et facta, neque arcana consilia et cogitationes. *Mem.* I. 1. §. 19.

Pie venerabatur Socrates et stupebat Dei infinitam sapientiam, in corporis humani fabrica, in animo humano, in omni rerum natura perspicuam. *Mem.* I. 4. providentiam in hominibus tuendis et juvandis *Mem.* IV. 3. *Oecon.* V. §. 20. iustitiam *Mem.* IV. 4. §. 25.

Divina beneficia censebat majora, quam ut homo natus dignas unquam referat gratias. *Mem.* IV. 3. §. 15. Sed *ὅσῳ μεγαλοπρεπέστερον (τὸ δαιμόνιον), τοσούτῳ μᾶλλον καὶ τιμητέον αὐτό.* Ipso Deo jubente *νόμῳ πόλεως* colendus est. *Mem.* IV. 3. §. 16. cff. I. 3. §. 1. et IV. 6. §. 2. Nemo melius colit Deum, quam qui obtemperando Illi placere studeat: unde praemia maxima exspectanda. *Mem.* IV. 3. §. 17.

Precibus Deos et sacrificiis placabat; et precari quidem solebat simpliciter *τἀγαθὰ διδό-*

δόξαι, ipsis, quae optima essent, optime scientibus (4). *Mem.* I. 3. §. 2. Sacra faciebat domi aut in publicis civitatis altaribus. *Mem.* I. 1. §. 2. parva de parvis, pia mente: ea enim Diis gratissima. *Mem.* I. 3. §. 3.

Ceterum non adeo erat omni superstitione major, quin Divinationi multum tribueret. Censebat Deos, si cui bene vellent, auspiciis, et ominibus ipsi, quid facto opus esset, portendere. *Mem.* I. 1. §. 19. cf. IV. 3. §. 12. non ita tamen, ut aves et quaevis omina ipsa significare futura crederet, sed his interpretibus uti Deos. *Mem.* I. 1. §. 3. Oraculis quoque multum tribuebat, sed in rebus incertis, quorum arbitrium penes solos esset Deos. *Mem.* I. 1. §. 8. cf. IV. 7. §. 10: si quid ratione aut judicio humano sciri posset, id ex Deo quaerere nefas. *ibid.* §. 9.

Unum denique sibi praecipuum statuebat δαιμόνιον « *divinum quoddam — cui semper ipse paruerit, nunquam impellenti, saepe revocanti.*" Cic. *de Divin* I. 54. quod ex multis Platonis locis confirmatur. *Theag.* pag. 128. D. ἐστὶ δὲ τοῦτο φωνή, ἥ, ὅταν γένηται, ἀεί μοι σημαίνει, ὃ ἂν μέλλω ποιεῖν, τούτου ἀποτροπήν, προτρέπει δὲ οὔποτε. *Apolog. Socr.* pag. 31. D. ἐμοὶ δὲ τοῦτ' ἔστιν ἐκ παιδὸς ἀρξάμενον, φωνή τις γιγνομένη, ἥ, ὅταν γένηται, ἀεὶ ἀποτρέπει με τούτου, ὃ ἂν μέλλω πράττειν, προτρέπει δὲ οὔποτε et alibi. Cf. Ast. *Oper. Plat.* Tom. X. pag. 347. Cum his consentiunt ceteri omnes, qui daemonii illius fecere mentionem, quos laudant Heindorf. ad *Plat. Phaedr.* pag. 237. et Ast. l. l. Adversatur ex Astii sententia Xenophon « *hic enim aperte tradit signum illud divinitus datum non solum ejusmodi fuisse, quod prohiberet et revocaret, verum etiam tale, quod juberet et impelleret.*" Audiamus Xenophontem. *Mem.* I. 1. §. 4. ἀλλ' οἱ μὲν πλεῖστοί φασιν ὑπό τε τῶν ὀρνίθων καὶ τῶν ἀπαντώντων ἀποτρέπεσθαί τε καὶ προτρέπεσθαι, Σωκράτης δὲ, ὥσπερ ἐγίγνωσκεν, οὕτως ἔλεγε· τὸ δαιμόνιον γὰρ ἔφη σημαίνειν (i. e. ut Astius interpretatur ἀποτρέπειν et προτρέπειν) καὶ πολλοῖς τῶν συνόντων προηγόρευε τὰ μὲν ποιεῖν, τὰ δὲ μὴ ποιεῖν, ὡς τοῦ δαιμονίου προσημαίνοντος. *Mem.* IV. 8. §. 1. φάσκοντος αὐτοῦ τὸ δαιμόνιον ἑαυτῷ σημαίνειν, ἅ, τε δέοι καὶ ἃ μὴ δέοι ποιεῖν. Quibus locis ab Astio indicatis addatur *Mem.* IV. 3. §. 12. ubi Euthydemus: σοὶ δ', ἔφη, ὦ Σώκρατες, ἐοίκασιν (οἱ Θεοί) ἔτι φιλικώτερον ἢ τοῖς ἄλλοις χρῆσθαι, οἵγε μηδὲ ἐπερωτώμενοι ὑπό σου προσημαίνουσί σοι ἅ, τε χρὴ ποιεῖν καὶ ἃ μή. In quibus miror, virum acutissimum latuisse, quam facile sit Xenophontem cum Platone et ceteris conciliare: nam quum Daemonii audita vox, si quid secus aut commissurus esset aut suasurus, semper prohiberet, necessario sequitur, Socratem, tacente daemonio, iuberi et impelli. Cf. ex mul-

(4) Non possum quin adscribam praeclarissimos incerti Poëtae in eandem sententiam versiculos, quos celebrat Socrates in Platonis, qui fertur, *Alcib* II. pag. 143 A.

Ζεῦ βασιλεῦ, τὰ μὲν ἐσθλὰ καὶ εὐχομένοις καὶ ἀνεύκτοις
Ἄμμι δίδου, τὰ δὲ δεινὰ καὶ εὐχομένοις ἀπαλέξειν.

multis Platonis locis *Alcibiad.* I. pag. 105. E; praesertim quum ipse Plato interdum ita de daemonio illo fuerit locutus. vid. *Theaet.* p. 151. A. *ἐνίοις μὲν τὸ γιγνόμενόν μοι δαιμόνιον ἀποκωλύει ξυνεῖναι, ἐνίοις δὲ ἐᾷ.*

Hanc vocem ipsi soli divinitus esse immissam, familiaribus Socratis et amicis erat certissimum; quam opinionem ipse excitabat magis et confirmabat, quam eorum animis eximere conabatur; huic semper et in omnibus obtemperare se dicebat, neque dubitamus, quin callidus *εἴρων* eâ in multis excusatione et praetextu uti soleret. Cf. *Mem.* IV. 8. §. 6. *Symp.* VIII. §. 5. Et Xenophon quidem ipsum Socratem eadem de eo sensisse disertissime affirmat atque ita probat: *καίτοι τίς οὐκ ἂν ὁμολογήσειεν, αὐτὸν βούλεσθαι μήτ' ἠλίθιον, μήτ' ἀλαζόνα φαίνεσθαι τοῖς συνοῦσιν; ἐδόκει δ' ἂν ἀμφότερα ταῦτα, εἰ προαγορεύων ὡς ὑπὸ τοῦ Θεοῦ φαινόμενα, κᾆτα ψευδόμενος ἐφαίνετο. δῆλον οὖν, ὅτι οὐκ ἂν προέλεγεν εἰ μὴ ἐπίστευεν ἀληθεύσειν.* *Mem.* I. 1. §. 5. quibus tamen hoc non sine controversia efficitur. Quid vero et quale fuerit Socratis Daemonium, quaestio est, quae Veteres et Recentiores satis, opinor, exercuit: neque tamen hac, qua vivimus, aetate, ambigi posse videtur, quin, si quis integram Socratis virtutem, si quis sapientiam habeat, is divinam illam vocem, quae ipsum, quid facto opus sit et honestum moneat, non sit desideraturus.

Elucet deinde in Socrate maximus erga patriam amor: civis plane egregius et expeditionibus strenue interfuit. *Mem.* IV. 4. §. 1. et justi tenax propositi nec iratae plebis clamoribus ac minis cessit, ut miseros Praetores, qui ad Arginusas victis Lacedaemoniis naufragos suos tempestate coacti non recepissent, indemnatos necaret. *Mem.* I. 1. §. 18. et IV. 4. §. 3. neque instantibus Tyrannis ac necem intentantibus cf. *Mem.* I. 2. §. 37. aut cessit I. 2. §. 32 *sqq.* aut civium salutem, violatis legibus, prodidit. *Mem* IV. 4. § 3. quae omnia notiora sunt et luculenter exposita a Luzacio V. Cl in oratione *de Socrate cive.* Multa erant (et quis miretur?) in Attica regiminis forma, quae improbaret, Cf. *Mem.* I. 2. §. 9. quibus aliorum, imprimis Spartanorum, instituta praeponeret. *Mem.* III. 5. §. 14. at vel sic tamen Legum patriae vindex acerrimus (*Mem.* IV. 4. §. 1. IV. 6. §. 6. et alibi) ut his demum observandis statueret censeri justitiam. *Mem.* IV. 4. §. 12. Ipse tamen „*a negotiis animi quodam judicio abhorrebat.*" Cic. *Orat.* 3. quare otium amplexus Cf. *Mem.* III. 11. §. 16. id potius egit, ut quam plurimos reip. negotiis redderet idoneos: ita enim potissimum se reip. profuturum sperabat. *Mem.* I. 6. §. 15.

His igitur virtutibus ornatus, omnia animi ingeniique bona ad communem civium et patriae salutem restituendam et confirmandam contulit. Gloriam et potentiam populi Atheniensis pessumdederant corrupti mores, leges contemtae, disciplina militaris plane nulla: cf. omnino *Mem.* III. 5. Cives suos ad pristinam virtutem revocare, emendare mores, atque adeo Legibus vim et auctoritatem reddere, lapsamque restituere patriam, hoc sibi proposuerat Socrates, in hunc finem vitam impendit. Non ille tamen universos monendo, sed singulos adeundo, docendo, ad ea, quae optima et honestissima essent, perdu-

ce-

cere maluit. Hinc semper erat in publico: mane exibat et loca urbis celebriora, forum imprimis et gymnasia, obibat, ubi inter amicos ipse plerumque disputabat: cuivis audiendi data potestas *Mem.* I. 1. §. 10. Universis prodesse cupiens, disputare solebat: τί εὐσεβὲς, τί ἀσεβές· τί καλὸν, τί αἰσχρόν· τί δίκαιον, τί ἄδικον· τί σωφροσύνη, τί μανία· τί ἀνδρεία, τί δειλία· τί πόλις, τί πολιτικός. verbo ea omnia, ἃ τοὺς μὲν εἰδότας ἡγεῖτο καλοὺς καὶ ἀγαθοὺς εἶναι, τοὺς δὲ ἀγνοοῦντας ἀνδραποδώδεις ἂν δικαίως καλεῖσθαι. *Mem.* I. 1. §. 16. atque ea simpliciter verbis et exemplis e communi populi vita petitis illustrabat. *Mem.* I. 2. §. 37. ubi vide Ruhnkenii notam. Amabat aliorum sententiam minutis interrogatiunculis elicere: quam deinde ex iis, quae vera esse concessissent, explorabat, atque ita quid verum esset, quid falsum, apparebat. *Mem.* IV. 6. §. 14 *sq.* Multorum, quorum futiles opiniones et vanitatem ita confutaverat, odium sibi contraxit, *Mem.* IV. 3. §. 40. quos parum curans, ita maxime se profuturum patriae sentiebat, si adolescentum praestantissimos quosque, spem patriae, ad virtutis et laudis amorem incenderet et cives optimos et utilissimos efficeret. Acer ingeniorum spectator acutissime, quibus quisque animi ingeniique dotibus praeditus, cui quisque rei maxime esset idoneus, perspiciebat, *Mem.* IV. 1. IV. 7. §. 1. et ut minus sibi probatos ab interiore familiaritate removebat (cuius rei exempla vide in Platonis *Lachete* p. 200. C. *Euthydemo* p. 306. D.) ita animo et ingenio insignes summopere sibi conciliare studebat: eos assidue sequebatur: vel invitos ad se variis modis alliciebat. Cf. *Mem.* IV. 2. Atque hic est Socratis in egregios adolescentes amor: ita dictitabat se Amoris esse θιασώτην· et ἐγὼ — οὐκ ἔχω χρόνον εἰπεῖν, ἐν ᾧ οὐκ ἐρῶν τινος διατελῶ. Symp. VIII. §. 2. unde tot lividae in praestantissimum virum criminationes. Cff. Athen. XIII. p. 566. E. et alibi. Diog. Laërt. II. 23. quibus opponatur vel unum Xenophontis testimonium *Mem.* IV. 1. §. 2. πολλάκις — ἔφη μὲν τινος ἐρᾶν, φανερὸς δ' ἦν οὐ τῶν τὰ σώματα πρὸς ὥραν, ἀλλὰ τῶν τὰς ψυχὰς πρὸς ἀρετὴν εὖ πεφυκότων ἐφιέμενος. Horum animos sibi primum conciliabat non rerum, de quibus disputabat, gravitate magis, quam consuetudinis suavitate et sermonum incredibili lepore et gratia; quo pertinet eius εἰρωνεία, cuius rara sunt sed lepidissima in Xenophonte exempla. vid. *Mem.* IV. 4. §. 6. *Symp.* IV. §. 5. etc. Placidus semper et hilaris „*dulcis, facetus festivique sermonis*" παίζων οὐδὲν ἧττον ἢ σπουδάζων ἐλυσιτέλει τοῖς συνδιατρίβουσιν, ut Xenophon ait *Mem.* IV. 1. §. 1. quod per totum Symposion satis declaratur. Neque ullius rei se profitebatur magistrum: non *docebat* καλοκἀγαθίαν: ἀλλὰ τῷ φανερὸς εἶναι τοιοῦτος ὢν ἐλπίζειν ἐποίει τοὺς συνδιατρίβοντας ἑαυτῷ, μιμουμένους ἐκεῖνον τοιούσδε γενήσεσθαι, ut est in *Mem.* I. 2. §. 3. Non mercedem igitur exigebat; quod qui facerent ἀνδραποδιστὰς ἑαυτῶν dictitabat. *Mem.* I. 2. §. 6. cf. *ibid.* §. 60 et I. 6. §. 11. et *alibi;* sed ab iis, quos effecisset meliores, veram et constantem exspectabat amicitiam. *Mem.* I. 2. §. 8. πάντων χρημάτων κράτιστον ipsi erat φίλος σαφὴς καὶ ἀγαθός. *Mem.* II. 4. §. 1. Amicis erat omnia: οὐδὲν ὠφελιμώτερον ἦν τοῦ Σωκράτει συ-

νεῖναι καὶ μετ' ἐκείνου διατρίβειν ὁπουοῦν καὶ ἐν ὁτῳοῦν πράγματι· ἐπεὶ καὶ τὸ ἐκείνου μεμνῆσθαι μὴ παρόντος οὐ μικρὰ ὠφέλει τοὺς εἰωθότας τε αὐτῷ συνεῖναι καὶ ἀποδεχομένους ἐκεῖνον. *Mem.* IV. 4. § 1. Horum vitia corrigebat: si quid secus commisissent, libere reprehendebat (5), *Mem.* I. 2. §. 29 Si qui nimios gererent spiritus, reprimebat. *Mem.* I. 7. IV. 2. dissidentes reducebat in gratiam. *Mem.* II. 3. inopia pressis aut consiliis aut re subveniebat. *Mem.* II. 8. 9. 10. ante omnia id agens, ut quam optimi fierent ἀεὶ τῶν πρὸς ἀρετὴν χρησίμων αὐτός τε διετέλει μεμνημένος καὶ τοὺς συνόντας πάντας ὑπομιμνήσκων. *Mem.* IV. 8. §. 10. Formabat eos ad pietatem erga Deos. *Mem.* IV. 3. iustitiam, amorem patriae, temperantiam et continentiam, verbo, sibi beatos, patriae utilissimos efficiebat. Singulorum ingeniis perspectis ad ea perducere conabatur, ubi sibi et civibus suis maximo usui essent futuri. *Mem.* IV. 1. §. 3. Si quos reip. administrandae competisset idoneos, iis nec monitis nec consiliis deĕrat. *Mem.* III. 7. atque ita maxime se reip. prodesse prae se ferebat. ποτέρως, inquit *Mem.* I. 6. §. 15. μᾶλλον τὰ πολιτικὰ πράττοιμι, εἰ μόνος αὐτὰ πράττοιμι ἢ εἰ ἐπιμελοίμην τοῦ ὡς πλείστους ἱκανοὺς εἶναι πράττειν αὐτά; si quem contra reip. capessendae muneribus imparem, tamen eo studio duci videbat, blande et amice a proposito revocabat. *Mem.* III. 6. Iis, qui ad remp. accessissent, quid in bello, quid in pace factu esset optimum, exponebat: non ut docere videretur, sed familiari sermone et minutis interrogatiunculis eo perducebat, ut quid in quaque re maxime esset probandum, ipsi viderentur invenisse. Nam ita solebat, ita ipsorum, quibuscum disputabat, caltide et blande eliciebat sententiam, suam premebat. Hinc Hippias *Mem.* IV. 4. §. 9. ἀρκεῖ γὰρ ὅτι τῶν ἄλλων καταγελᾷς, ἐρωτῶν μὲν καὶ ἐλέγχων πάντας· αὐτὸς δὲ οὐδενὶ θέλων ὑπέχειν λόγον οὐδὲ γνώμην ἀποφαίνεσθαι περὶ οὐδενός. Charicles I. 2. §. 36. ἀλλά τοι σύγε, ὦ Σώκρατες, εἴωθας, εἰδὼς πῶς ἔχει, τὰ πλεῖστα ἐρωτᾶν: ita et captiosas nonnullorum quaestiones facillime eludebat. Cf. *Mem.* I. 6. III. 8. ita multorum vanitatem et ineptas opiniones confutabat, de quibus quasi addubitans quum accuratius exploraret, facile quid esset in iis falsum aut stultum arguebat.

Sed falluntur, qui ita semper disputasse Socratem existiment; ita enim acutiores reddidisset homines et cautiores, sed parum ad virtutem ex istiusmodi disputationibus profecissent.

Quid de quaque re gravissima et ad vitam bene instituendam utilissimum sentiret, id non exemplo tantum et ἔργῳ cf. *Mem.* IV. 4. §. 10. declarabat, sed aperte et copiose ex-

(5) Comparari potest Plutarch. in libro *De Adulatore et Amico* Cap. XXXII: ἐπεὶ δ' ὁ Σωκράτης ἥψατό τινος τῶν συνόντων σφοδρότερον ἐπὶ ταῖς τραπέζαις διαλεγόμενος, οὐκ ἄμεινον ἦν, Πλάτων ἔφη, ἰδίᾳ ταῦτα λελέχθαι; cui tamen merito Socrates: σὺ δὲ, εἶπεν, οὐκ ἄμεινον ἂν ἐποίησας ἰδίᾳ πρός με τοῦτο εἰπών.

exponere non refugiebat; non omnibus ille quidem et ubique, sed iis tantum, quos philosophiae et virtutis vere amantes compererat, sed ibi demum, ubi se ita potissimum iis prodesse perspiciebat. Exempla passim in Xenophonte obvia: quid de Deo sentiat, non celat Euthydemum. *Mem.* IV. 3. suam de iustitia sententiam aperit Hippiae. IV. 4. de fortitudine, de prudentia, de temperantia, de ceteris virtutibus et rebus ad vitam bene instituendam pertinentibus, quid statuat, non obscure et per ambages significabat, sed quod diserte ait Xenophon *Mem.* IV. 7. §. 1. *ἁπλῶς τὴν ἑαυτοῦ γνώμην ἀπεφαίνετο — πρὸς τοὺς ὁμιλοῦντας αὐτῷ.* Cf. *Mem.* III. 9. IV. 6. et *alibi* passim.

Sed veritatem parere odium, Socrates persensit. Non impune multis libere vitia obiecerat, vitae turpitudinem exprobraverat, multorumque vanitatem confutaverat: quorum invidia et odio non solet esse gravius. Quanta esset Athenis calumniandi materia et impunitas, exemplo suo ostendit. Accusatio haec erat: *Ἀδικεῖ Σωκράτης, οὓς μὲν ἡ πόλις νομίζει θεοὺς, οὐ νομίζων, ἕτερα δὲ καινὰ δαιμόνια εἰσφέρων· ἀδικεῖ δὲ καὶ τοὺς νέους διαφθείρων* (5). Atque illa obiiciebantur ei, quo nemo Deos patrios sanctius coluit, qui iuventutem non disputationibus magis et consiliis, quam vita et exemplo ad perfectam hominis et civis virtutem formavit. At facile fuisset Socrati, si in iudicio solitis artibus uti voluisset, iudicum sibi conciliare animos et homuncionum diluere calumnias: sed non erat hoc Socratis, (*Mem.* IV. 4. §. 4.) qui vitam sanctissimam et patriae utilissimam sibi apologiam esse sentiebat: (*Mem.* IV. 8. §. 4.) quam si caeci ingratorum civium animi non probarent, facile vitae, quae supererat, partem sibi minus gratam, minus patriae utilem (*Mem.* IV. 8. §. 1. et 8 *sq.*) ipsorum saevitiae proiiciebat. Causam egit *πάντων ἀνθρώπων ἀληθέστατα καὶ ἐλευθεριώτατα καὶ δικαιότατα.* *Mem.* l. l. §. 1.; mortis damnatus per triginta dies vixit: vixit, ut solebat, placidus sibi, amicis utilis. *Mem.* l. l. sui sibi conscius, vitae bene actae memoria se consolabatur et amicos: *οἶδα δὲ ὅτι καὶ ἐγὼ ἐπιμελείας τεύξομαι ὑπ' ἀνθρώπων, καὶ ἐὰν νῦν ἀποθάνω, οὐχ ὁμοίως τοῖς ἐμὲ ἀποκτείνασιν· οἶδα γὰρ ἀεὶ μαρτυρήσεσθαί μοι, ὅτι ἐγὼ ἠδίκησα μὲν οὐδένα πώποτε ἀνθρώπων οὐδὲ χείρω ἐποίησα, βελτίους δὲ ποιεῖν ἐπειρώμην ἀεὶ τοὺς ἐμοὶ συνόντας.* *Mem.* IV. 8. §. 10. Mortem igitur nemo umquam fortiore animo et aequiore tulit. *ibid.* §. 2.

Ita breviter, quae Xenophon de Socratis vita et rebus commemorat, contraximus. Eius laudes celebrare, ut par est, nostrum non est, sed alterius Socratis. Sufficiat lucu-

(5) Haud illepide Max Tyr. *Diss.* IX. p. 101. hanc accusationem ita melius esse constituendam statuit: *Ἀδικεῖ ὁ Ἀθηναίων δῆμος, οὓς μὲν Σωκράτης νομίζει θεοὺς οὐ νομίζων, ἕτερα δὲ καινὰ δαιμόνια ἐπεισφέρων. Σωκράτης μὲν γὰρ νομίζει Ὀλύμπιον τὸν Δία, Ἀθηναῖοι δὲ Περικλέα· καὶ Σωκράτης μὲν πιστεύει τῷ Ἀπόλλωνι, Ἀθηναῖοι δὲ αὐτῷ ἀντιψηφίζονται· ἀδικεῖ δὲ ὁ δῆμος καὶ τοὺς νέους διαφθείρων· οὗτος καὶ Ἀλκιβιάδην διέφθειρε καὶ Ἱππόνικον καὶ Κριτίαν καὶ ἄλλους μυρίους.*

culentum apposuisse Xenophontis locum, quo *Memorabilia* absolvit: ἐμοὶ μὲν δὴ τοιοῦτος ὤν, οἷον ἐγὼ διήγημαι, εὐσεβὴς μὲν οὕτως, ὥστε μηδὲν ἄνευ τῆς τῶν θεῶν γνώμης ποιεῖν, δίκαιος δὲ, ὥστε βλάπτειν μὲν μηδὲ μικρὸν μηδένα, ὠφελεῖν δὲ τὰ μέγιστα τοὺς χρωμένους αὐτῷ, ἐγκρατὴς δὲ, ὥστε μηδέποτε προαιρεῖσθαι τὸ ἥδιον ἀντὶ τοῦ βελτίονος, φρόνιμος δὲ, ὥστε μὴ διαμαρτάνειν κρίνων τὰ βελτίω καὶ τὰ χείρω, μηδὲ ἄλλου προσδεῖσθαι, ἀλλ᾽ αὐτάρκης εἶναι πρὸς τὴν τούτων γνῶσιν, ἱκανὸς δὲ καὶ λόγῳ εἰπεῖν τε καὶ ἁμαρτάνοντας ἐξελέγξαι καὶ προτρέψασθαι ἐπ᾽ ἀρετὴν καὶ καλοκἀγαθίαν, ἐδόκει τοιοῦτος εἶναι, οἷος ἂν εἴη ἄριστός τε ἀνὴρ καὶ εὐδαιμονέστατος.

Cuius sententiae, nostra quoque aetate in tanta religionis et humanitatis luce, neminem esse existimo, qui subscribere recuset.

P l a t o n i s in Xenophontis scriptis nonnisi semel mentio est, *Mem.* III. 6. §. 1. Σωκράτης εὔνους ὢν αὐτῷ (*Glauconi*, *Platonis fratri*) διά τε Χαρμίδην τὸν Γλαύκωνος καὶ διὰ Πλάτωνα. Falsa est igitur eorum opinio, qui nec Xenophontis usquam Platonem (6), nec Xenophontem Platonis meminisse statuerint. Vid. A. G e l l. N. A. XIV. 13. Olim eadem de causa simultatis inter utrumque philosophum orta est suspicio: cuius nulla tamen in Xenophonte reperiuntur indicia. Platonis memorandi neque in *Memorabilibus*, neque in aliis libris locus erat: opportunitate data et nomen memoravit, et Socratis erga eum amicitiam declaravit. Hoc quoque, si ipsi invidisset, potuisset omittere. Mutua, opinor, reverentia potius effecit, ut neuter alterum in Dialogorum veluti theatrum producere voluerit. Plura ex Symposio colliguntur indicia. Cf. A t h e n. V. p. 216. E. XI. p. 504. F. Sed de Pausaniae mentione, quid suspicemur, supra attulimus. Cetera sunt etiam leviora. Xenophon tibicinas admittit: Plato explosas expellit foras: hoc vero, si Diis placet, luculentum alieni animi indicium! hoc Platone et Xenophonte dignum! At (si istud refutare tanti est) Agathonis convivae, hesterno vino gravati, ista iam fastidiebant, Calliae integri iis, quae ad convivium exhilarandum pertinebant, delectabantur: et vel sic tamen mox tibicinam quiescere iubent, quo melius sermonibus indulgeant, *Symp.* III. §. 2.

Merito igitur istam simultatem ad Recentiorum, imprimis Athenaei argutias reiecerunt viri docti, ex quibus B o e c k h i u s peculiari opera hanc quaestionem persecutus est. Cff.

(6) [Xenophontis nomen in Platone nusquam legitur: sed non dubito, quin ad eum pertineat locus in *Alcibiad* I. pag. 123. B ubi Socrates: ἐγὼ ἤκουσα ἀνδρὸς ἀξιοπίστου τῶν ἀναβεβηκότων παρὰ βασιλέα, ὃς ἔφη παρελθεῖν χώραν πάνυ πολλὴν καὶ ἀγαθὴν, ἐγγὺς ἡμερησίαν ὁδὸν, ἣν καλεῖν τοὺς ἐπιχωρίους ζώνην τῆς βασιλέως γυναικός. ad quem locum iam vetus *Scholiasta* annotavit p 339. Ed Bekker: περὶ Ξενοφῶντός φασι λέγειν αὐτόν· οὗτος γὰρ ἐν τῇ Ἀναβάσει ἱστόρησε τὰ Περσῶν, Κύρῳ συνανελθὼν ἐπὶ τὸν ἀδελφὸν Ἀρτοξέρξην. quod videtur verisimillimum collato loco ex *Anab.* I. 4 §. 9]

Cf. etiam Schneid. ad *Symp. Xenoph.* p. 140 et 146. et quamvis aemulationem inter utrumque intercessisse haud veri sit dissimile, alieni tamen animi procul absit suspicio.

Ipsius XENOPHONTIS etiam rara est mentio. Symposio a Callia celebrato se interfuisse ait *Symp.* I. §. 1. sed inter convivas non memoratur, unde Aristippus quidam apud Diog. Laërt. II. 49. eum sub Critobuli persona latere existimavit. Ad ipsum enim ea refert, quae Critobulus *Symp.* IV. §. 12. de amore suo erga Cliniam iactat. Sed qui fieri possit, ut Xenophon adolescentuli neque ingenii acumine nec modestia nec temperantia conspicui, ut infra videbimus, personam sustinere voluerit. Ceterum, quae in Symposio in Critobulo notantur, eadem in ipso, praesente Xenophonte, arguit Socrates *Mem.* I. 3. §. 8. unde apparet totum hocce maledicentiae istius Aristippi, quisquis tandem fuerit (7), qui praestantissimis viris libidinis et intemperantiae notam inurere voluerit, esse relinquendum. Aliquanto gravior est criminatio Athenaei V. p. 216. ubi ait: *ὁ καλὸς Ξενοφῶν ἐν τῷ Συμποσίῳ ὑποτίθεται Καλλίαν τὸν Ἱππονίκου Αὐτολύκου τοῦ Λύκωνος ἐρῶντα καὶ νενικηκότος αὐτοῦ παγκράτιον ἑστίασιν ποιούμενον καὶ σὺν τοῖς ἄλλοις δαιτυμόσι παρόντα αὐτὸν, τὸν ἴσως μηδὲ γεννηθέντα ἢ περὶ τὴν παιδικὴν ἡλικίαν ὑπάρχοντα:* quae chronologicis rationibus evincere conatur. Nam de natalibus Xenophontis omnia obscura. Casaubonus ad h. Athenaei l. pag. 381, eum, quo tempore convivium habitum est, decem maxime annos natum censet. Schneiderus contra ad *Xen. Symp.* pag. 138 *sq.* viginti tres: cuius longe potior videtur sententia. Nam cui bono se convivio, ubi suae nullae fuerint partes, interfuisse fuisset ementitus? Atqui eum confudisse tempora, admodum videtur veri dissimile. Est etiam in *Mem.* locus I. 3. §. 8. *sqq.* ubi Socratis cum Xenophonte et Critobulo legitur colloquium, quod convivium Calliae antecessisse apparet, si eum locum conferas cum *Symp.* IV. §. 24. Ibi autem inducitur Xenophon Critobulo aetate suppar, fervidus iuventa et *ἐρωτικός*. vid. §. 9 *sq.* un-

(7) Satis mirari non possum, existimasse viros doctos Vossium *de Hist. Graec.* IV. 8. Menag. ad Diog Laërt. II. 23. alios, libellum istum Περὶ παλαιᾶς τρυφῆς fuisse ab ipso Aristippo Cyrenaeo profectum. Nam ne dicam Diogenem Laërtium in Indice librorum Aristippi, huncce librum non memorare, vel ipse titulus recentioris aetatis arguit auctorem. Qui enim fieri potuit, ut Aristippus exempla *antiquorum* qui amoribus et genio indulsissent colligens (nam hoc fuit operis argumentum, turpes amores et lubidinem obiecerit Socrati Diog. Laërt II. 23 Xenophonti *ibid* I. 1 Platoni. III. 29. Aristoteli V. 3 Theophrasto V. 39. Polemoni IV. 19. qui aut aequales ipsi fuerunt, aut quorum nonnullos aetate etiam antecessit. Certum igitur est istum Aristippum, quisquis fuerit, hisce omnibus, quos ad Antiquos refert longe esse recentiorem. Quantum ipsi tribuendum sit, ex calumniis, in summos viros iactatis satis apparet: unde haec ipsa in Xenophontem criminatio non stupori magis quam invidiae et odio tribuenda videtur.

unde ad ipsum Socrates: §. 13. *ἀλλὰ συμβουλεύω σοι, ὦ Ξενοφῶν, ὁπόταν ἴδῃς τινὰ καλὸν, φεύγειν προτροπάδην.* Quibus si adiicias rationes a Schneidero l. l. allatas ex Diog. Laërt. II. 55. et Strabone Lib. IX. p. 403, veri est simillimum Xenophontem Olympiadis LXXXIX. anno 4. Archonte Aristione. Cf. *Casaub.* ad Athen. p. 379 excessisse ex Ephebis et fere vigesimum tertium egisse annum.

Ceterum Xenophontis nulla fit mentio: quali autem erga alios fuerit animo, melius in singulis declarabitur.

Et in ARISTIPPUM quidem Cyrenaeum alieno animo fuit, ut Diog. Laërt. II. 65. annotavit et melius etiam ex ipsius scriptis passim intelligitur. Nec finxisse tamen quidquam credendus est, sed multa in eius dedecus cupidius conquisivisse. Indicitur *Mem.* III. 8. captiosis quaestionibus Socratem irretire studens, ut, a quo toties esset confutatus, vicissim argueret. Primus Socraticorum mercedem a discipulis exegit. Cf. Diog. Laërt. II. 74 unde acerbe, quamvis omisso nomine, carpitur *Mem.* I. 2. §. 60. (*Socrates*) *οὐδένα πώποτε μισθὸν τῆς συνουσίας ἐπράξατο, ἀλλὰ πᾶσιν ἀφθόνως ἐπήρκει τῶν ἑαυτοῦ, ὧν τινες μικρὰ μέρη παρ' ἐκείνου προῖκα λαβόντες πολλοῦ τοῖς ἄλλοις ἐπώλουν καὶ οὐκ ἦσαν ὥσπερ ἐκεῖνος δημοτικοί.* Nam ibi prae ceteris Aristippum respici extra controversiam est. Vid. Ruhnken. ad h. l. Finis bonorum ipsi erat *ἡ λεία κίνησις εἰς αἴσθησιν ἀναδιδομένη.* Diog. Laërt. II. 58. Hinc *Mem.* II. 1. §. 9. *ἐμαυτὸν*, inquit, *τάττω εἰς τοὺς βουλομένους ᾗ ῥᾷστά τε καὶ ἥδιστα βιοτεύειν*: a rebus civilibus alienus §. 13. *οὐδὲ εἰς πολιτείαν ἐμαυτὸν κατακλείω, ἀλλὰ ξένος πανταχοῦ εἰμι*: nec praeesse aliis nec parere volebat *ἀλλ' εἶναί τίς μοι δοκεῖ*, ait §. 11, *μέση τούτων ὁδὸς, ἣν πειρῶμαι βαδίζειν οὔτε δι' ἀρχῆς, οὔτε διὰ δουλείας, ἀλλὰ δι' ἐλευθερίας, ἥπερ μάλιστα πρὸς εὐδαιμονίαν ἄγει.* Quae tamen Socrati ad inertiam potius et luxuriam ducere videbatur: quae per totum colloquium aperte ipsi obiiciuntur. Praefatus enim Xenophon Socratem formare amicos *πρὸς ἐγκράτειαν πρὸς ἐπιθυμίαν βρωτοῦ καὶ ποτοῦ καὶ λαγνείας καὶ ὕπνου καὶ ῥίγους καὶ θάλπους καὶ πόνου* ita pergit: *γνοὺς δέ τινα τῶν συνόντων ἀκολαστοτέρως ἔχοντα πρὸς τὰ τοιαῦτα· εἰπέ μοι, ἔφη, ὦ Ἀρίστιππε κ. τ. λ.* Num apertius ipsi intemperantiam, incontinentiam et mollitiem potuit exprobrare (8)? Non defuerunt igitur, qui Xenophontem odio ductum huncce Socratis et Aristippi sermonem finxisse statuerent v. c. Diog. Laërt. II. 65. *διὸ καὶ τὸν κατὰ τῆς ἡδονῆς λόγον Σωκράτει κατ' Ἀριστίππου περιτέθεικεν* (*ὁ Ξενοφῶν*) et Athenaeus XII. p. 544. E. Quod ut a Xenophontis ingenio prorsus videtur alienum, sic tamen invidiosius et cupidius eum perstrinxisse debet videri,

(8) Incogitanter igitur Sophista vel Rhetor, quisquis fuit, qui Socratis et Socraticorum Epistolas finxit, narrat *Epist.* XVIII. Aristippum, a Xenophonte Scillunte hospitio exceptum, eius *Memorabilia* vehementer probasse: ut monuit Ruhnk. ad h. l.

qui quamvis laute et delicate vivens, Socratis tamen sibi exoptabat mortem, auctore Diog. Laërt. II. 76. (9)

Huic vita et victu plane fuit contrarius ANTISTHENES, Antisthenis F., Atheniensis (10), quo nemo Socratem maiore admiratione et caritate est prosecutus. Huic Socrates unus erat instar omnium: ab eius latere vix discedebat. *Mem.* III. 3. §. 17. ei omnia referebat accepta. *Symp.* IV. §. 34 *sq.* Eius amicitiae nihil non postponebat. *Symp.* VIII. §. 4 *sqq.* quem quanti faceret *Mem.* II. 5. §. 3. de *pretiis* amicorum cum eo ita disserens: Ἔγωγ' οὖν βουλοίμην ἂν τὸν μέν τινα φίλον μοι εἶναι μᾶλλον ἢ δύο μνᾶς, τὸνδ' οὐδ' ἂν ἡμιμναίου προτιμησαίμην, τὸν δὲ καὶ πρὸ δέκα μνῶν ἑλοίμην ἄν, τὸν δὲ πάντων χρημάτων καὶ πόνων πριαίμην ἂν φίλον μοι εἶναι, haud obscure significat. « *Acutus erat magis quam eruditus*" ut Cicero ait *ad Atticum* Lib. XII. *Epist.* 38. acer et severus, ut improbaret citius quam laudaret. Cf. *Symp.* IV. §. 2. et 6. facetus quidem interdum et iocosus, sed fere ita ut semper morositas quaedam salibus esset admixta. Vid. *Symp.* II. §. 13. IV. §. 6. *alibi;* idem tamen suavis adeo et iucundus, ut consuetudinis gratia facile quemvis et sibi et aliis conciliaret. Vid. omnino *Symp.* IV. §. 62 *sqq.* unde sua hausit Theopompus apud Diog. Laërt. VI. 14. τοῦτον μόνον ἐκ πάντων Σωκρατικῶν Θεόπομπος ἐπαινεῖ καί φησι δεινόν τε εἶναι καὶ δι' ὁμιλίας ἐμμελοῦς ὑπαγαγέσθαι πάνθ' ὁντινοῦν (11).

Ingenii austeritas effecit, ut in Socraticis sermonibus patientiam et duritiem maxime adamaret. Cic. *de Orat.* III. 17. unde et Cynicorum et Stoicorum parens exstitit. Diog. Laërt. VI. 2. παρ' οὗ (Σωκράτους) καὶ τὸ καρτερικὸν λαβὼν καὶ τὸ ἀπαθὲς ζηλώσας κατῆρξε πρῶτος τοῦ Κυνισμοῦ et Sect. 15. οὗτος ἡγήσατο καὶ τῆς Διογένους ἀπαθείας καὶ τῆς Κράτητος ἐγκρατείας καὶ τῆς Ζήνωνος καρτερίας: et quamvis vitae rigiditas primum superbiae et ostentationis suspicione non caruit cff. Diog. Laërt. VI. 8, Aelian. V. H. IX.

(9) Vere Max. Tyr. *Dissert.* XXXVII. p. 390. ὁ Ἀρίστιππος ἐκεῖνος πορφυρίδι ἀμπισχόμενος καὶ μύροις χριόμενος οὐχ ἧττον τοῦ Διογένους ἐσωφρόνει. quae deinde pluribus illustrat.

(10) Ambigebatur tamen, an vere esset civis Atticus: et saepius multis sibi peregrinitatis notam obiicientibus, acute et facete respondit. Diog. Laërt. VI. 1. Festive apud eundem Socrates II. 31. ad eum, qui Antisthenem Thressa matre natum argueret: σὺ δ' ᾤου οὕτως ἂν γενναῖον ἐκ δυοῖν Ἀθηναίοιν γενέσθαι.

(11) [Videtur locus iste vitium contraxisse. Nam δεινὸς non significat *acutissimum*, quod habent Interpretes, et illud εἶναι ferri non potest, quia Antisthenes, quum Theopompus haec scriberet, non amplius erat in vivis, nec respondet sequenti ὑπαγαγέσθαι. Legendum videtur φησὶ δεινὸν γενέσθαι δι' ὁμιλίας ἐμμελοῦς ὑπαγαγέσθαι πάνθ' ὁντινοῦν. Nam δεινὸς exquisite significat eum, *qui in quovis genere excellit* in utramque partem. vid. omnino Perizon. ad Aelian. V. H. I. 1. et exempla passim in Theophrasti *Characteribus:* voculam καὶ peperit praecedens syllaba. Atque sic habemus optimam sententiam, planissime expressam et Xenoph. *Symp.* I. 1.]

IX. 35. mox tamen plane in naturam vertit, ut luculenter constat ex iis sermonibus, quos habet *Symp.* IV. §. 34 *sqq.* ubi liberrimam suam celebrat et otiosam vitam §. 44. magnas in summa omnium rerum inopia (Cf. *Symp.* III. §. 8.) divitias §. 38. voluptates ex vita durissima et severissima iucundissimas, unde saepius, ne eae quoque essent nimiae, metuebat §. 39.

Inter veros Socratis amicos memoratur, *Mem.* I. 2. §. 48. PHAEDO, de quo classicus locus est A. Gellii N. A. II. 18. « *Phaedo Elidensis ex cohorte illa Socratica fuit* « *Socratique et Platoni perfuit familiaris. Eius nomini Plato illum librum divi-* « *num de immortalitate animae dedit. Is Phaedon servus fuit forma atque ingenio* « *liberali, et ut quidam scripserunt, a lenone domino puer ad merendum coactus*" (cf. Diog. Laërt. II. 31 et 105. ubi vid. quos laudat *Menagius*) « *Eum Cebes So-* « *craticus, hortante Socrate, emisse dicitur habuisseque in philosophiae disciplinis* (Diog. Laërt. II. 31. cum ait a Critone redemtum: deinde *Sect.* 105. 'Αλκιβιάδην ἢ Κρίτωνα nominat, ubi tamen illa ἢ Κρίτωνα sciolo deberi videntur, qui superioris loci memor ad marginem adleverat) « *atque is postea philosophus illustris fuit, sermo-* « *nesque eius de Socrate admodum elegantes leguntur.*" (Quos enumerat Diog. Laert l. l. *Sect.* 105.) Quanta fuerit ipsius in Socratem caritas Plato in cognomine Dialogo ostendit. Cf. Groen. pag. 53 *sq.* Ruhnkenius tamen ex optimis Codd. in Xenophontis l. l. pro *Phaedone* Φαιδώνδης esse restituendum monuit, quem tamen minus recte Vir Cl. ex corrupto, opinor, Suidae loco Cyrenaeum fuisse statuit. Nam satis apparet eum esse intelligendum, qui in *Phaed.* pag. 59. C. Socrati morienti adfuisse dicitur Σιμμίας τέ γε ὁ Θηβαῖος καὶ Κέβης καὶ Φαιδώνδης καὶ Μεγαρόθεν Εὐκλείδης τε καὶ Τερψίων. ex quo loco Thebanum eum fuisse satis probabiliter colligitur. Cf. Heindorf. ad h. l. quod terminatione nominis confirmatur, observante Wyttenbachio ad *Phaed.* p. 118. Ceterum de eo nihil constat, nam quae a Ruhnkenio l. l. indicantur loca, ad Phaedonem Eleum pertinere vidit Wyttenbach. l. l.

Huius duo cives et amici memorantur SIMMIAS et CEBES, Socratis uterque amantissimus *Mem.* I. 2. §. 48. quem ut audirent, relicta patria, Athenas se contulerunt. *Mem.* III. 11. §. 17. quem ut ex carcere liberarent omnia fecerunt, nec sibi nec bonis suis parcentes Plato in *Criton.* p. 45 B. Utrumque nobilitavit Platonis *Phaedo* et sermones cum Socrate morituro habiti: atque adeo de iis egregie omnia exposuit Groen. pag. 66 *sqq.*

Utriusque scripta memorat Diog. Laërtius; Simmiae Dialogos XXXIII. Lib. II. 124. Cebetis III. ibid *Sect.* 125. Quae tamen hodie fertur eius *Tabula* manifesta habet recentioris originis indicia. Cf. Menag. ad *Diog. Laërt.* l. l.

Tandem mentio est *Mem.* IV. 2. §. 10. THEODORI, ubi dicitur γεωμέτρης ἀγαθός. Fuit

Fuit Cyrenaeus Diog. Laërt. II. 103, magister, uti ferunt, Platonis: Id. III. 6: qui eius laudis plenam mentionem et alibi et praesertim in *Theaeteto* fecit; unde omnia hausit et exposuit Groen. pag. 190 *sq*.

SECTIO SECUNDA.

DE SOPHISTIS.

Qui erat Platoni in Sophistas animus, idem erat Xenophonti. Socratis uterque exemplo et contemnebat et arguebat; sed diversa indoles effecit, ut alia uterque ratione eos perstrinxerit.

Plato, quem, iudice Gorgia, alterum Archilochum tulerunt Athenae (12), in Sophistis ridendis magis quam confutandis ingenio indulsit. De industria singulos in Dialogorum theatro *κωμῳδεῖ*. Sed quum passim eos ineptos et futiles arguit, qui quovis dicendi disputandique artificio irretiti, atque adeo suismet ipsorum artibus capti, turpiter se darent, et cuivis, nedum emunctae naris homini, risum deberent, vereor, ne ludendi iocandique studio non sine cupiditate et odio fuerit abreptus (13). Istiusmodi homines contemnendi magis, quam metuendi nec Socrate adversario fuissent digni.

Lenior Xenophon stuporem et ridiculam *εὐήθειαν* nusquam iis obiecit (14). Fastum ob-

(12) Lecto cognomine sibi Dialogo, Gorgias exclamavit: *ἦ καλόν γε καὶ νέον αἱ Ἀθῆναι τοῦτον Ἀρχίλοχον ἐνηνόχασιν*, ut auctor est Athen. XI. p. 505. E.

(13) Non defuerunt igitur, qui Platonem in iis perstringendis aemulatione et invidia ductum censerent. Dion. Halic. in *Epist ad Pomp.* Tom. II. p. 126. Sylb. *κωμῳδεῖ (ὁ Πλάτων) τοὺς πρὸ ἑαυτοῦ σοφιστὰς Παρμενίδην τε καὶ Ἱππίαν καὶ Πρόδικον καὶ Πῶλον καὶ Θεόδωρον καὶ Θρασύμαχον καὶ ἄλλους συχνούς, οὐκ ἀπὸ τοῦ βελτίστου πάντα περὶ αὐτῶν γράφων, ἀλλ', εἰ βούλει, καὶ ἀπὸ φιλοτιμίας*, quem tamen satis constat, quod Platoni vitio vertit, ipsum in aliis multis, praesertim in Platone carpendo passim commisisse. Philostr. in *Epist. ad Iul. Augustam* p 919. Olear. *οὐδὲ ὁ θεσπέσιος Πλάτων τοῖς σοφισταῖς ἐβάσκηνε, κἂν σφόδρα ἐνίοις δοκῇ τοῦτο, ἀλλὰ φιλοτίμως πρὸς αὐτοὺς εἶχεν.*

(14) Insignis tamen locus est de Sophistis in Xenophontis libro *de Venatione* Cap. XIII. ubi acerbe in istos Xenophon invehitur. Sed non dubito, quin iste locus sit interpolatus et spurius. Veluti de coelo delapsus ad finem libri de Venatione assutus est: a cuius argumento plane est alienus. Quod suspicatur Schneiderus Xenophontem Sophistis suae aetatis infestissimum, ut qui maxime disciplinae Socraticae obstarent, *quamvis alieno loco* odium et iram animi omnem in

obiecit et iactantiam: inanis gloriolae, imprimis divitiarum arguit avidissimos: iuvenum venatores, sapientiae mercatores. Concedit ipsis variam et diffusam eruditionem, admirabilem facundiam, ut quidquid esset speciosum et elegans, quidquid lepidum et urbanum ita excogitarent, ita eloquerentur, ut nil addi posse videretur. Qua ornate et suaviter dicendi facultate abusi, de argumentis cuiusvis generis copiose disputabant; et, quum de coelo et rebus coelestibus, deque universa rerum natura

Candida de nigris et de candentibus atra

disputarent, in sonoram et inanem abierunt loquacitatem; quum de rebus bonis et malis, de vita bene constituenda, de iustitia aut aliis virtutibus dissererent, ea potius, quae speciosa et grata auditoribus, quam quae vera et utilia essent, splendidis orationibus celebrabant; sed quum in argumentum se dignum incidissent, egregia facundiae specimina ediderunt, quae cum verborum exquisito delectu et artificiosissima dispositione, tum sententiarum suavitate et pondere essent conspicua. Atque ita describit Sophistas Xenophon, ut ex paucis illis, quae de eorum rebus et ingenio, opportunitate data, memoravit, colligere licuit. Raro enim in eius scriptis occurrunt: quae de singulis referat, paucis exponere conabimur.

Omnium primus fuit Leontinus GORGIAS (15), qui in Sicilia eloquentiam et varia dicendi artificia edoctus, legatus a Leontinis venit Athenas: ubi omnes eruditione et dicendi genere in admirationem rapuit: in his, Periclem, Thucydidem, Alcibiadem, Critiam. Grandi mercede proposita, sapientiam sed praesertim eloquentiam docebat. Hinc Socrates ad Calliam *Symp.* I. §. 5. *ἀεὶ σὺ ἐπισκώπτεις ἡμᾶς καταφρονῶν* (16), *ὅτι σὺ μὲν Πρωταγόρᾳ τε πολὺ ἀργύριον δέδωκας ἐπὶ σοφίᾳ καὶ Γοργίᾳ καὶ Προδίκῳ καὶ ἄλλοις πολλοῖς, ἡμᾶς δὲ ὁρᾷς αὐτουργούς τινας τῆς φιλοσοφίας ὄντας*, ubi oppositio *σοφίας* et *φιλοσοφίας* arrogantiam istorum *sapientiae* doctorum haud obscure tangit.

Gorgias autem ante omnia ornatae et magnificae orationis affectabat laudem. Cf. om-

in eo loco effudisse: credo, ne in mediocri quidem Graeculo usu venire potuisse. Neque vero etiam color in hisce inest Xenophonteus. Oratio scabrosa est, et quamvis §. 1. dicat *ἴσως οὖν τοῖς μὲν ὀνόμασιν οὐ σεσοφισμένως λέγω*, passim calamistris inusta. Pro simplicitate Xenophontea hic multa habemus obscura et contorta. Cf. §. 6. Argumentum quoque ipsum Xenophontis ingenio indignum: nam eius non est, convicia temere multa congerere, eademque putide repetere, quod in hoc loco passim videas.

(15) Initio Olympiadis LXX Gorgiam natum esse idoneis argumentis ostendit doctiss. Geel in H. C. S. p. 17 sqq. et post eum H. E. Fossius in Commentatione *de Gorgia Leontino*. [Cf. *Bibl. Crit. Nova* Vol. V. Part. I. p. 142.]

(16) Sunt, quos illud *καταφρονῶν* offenderit: facili manu restitui possit *μέγα φρονῶν*: sed opus non est: simpliciter enim est *prae contemtu*.

omnino Plato in *Gorg.* pag. 449. A. Dicendi genere usus est plane novo, omnibus orationis figuris et artificiis onerato magis quam ornato. Ante omnia *ἀντίθετα*, *ἰσόκωλα*, *πάρισα*, *ὁμοιοτέλευτα* et istiusmodi omnia ita amabat, ut his demum censeretur *τὸ Γοργιάζειν* (17). Optime in huius calamistros conveniunt notissimi famâ Aristophanis versiculi in *Thesmoph.* vs. 59 *sqq.*

Τάδε τορνεύει, τάδε κολλομελεῖ,
Καὶ γνωμοτυπεῖ κἀντονομάζει
Καὶ κηροχυτεῖ καὶ γογγυλίζει (18)
Καὶ χοανεύει.

quos in ipsius discipulum Agathonem, qui in his potissimum magistrum aemulatus est, (vid. Philostr. *de vitis Soph.* pag. 493. Olear. Groen. pag. 167.) cavillatur. In primis verborum Poëticorum proiiciebat ampullas (19), cuius studii fuit auctor, eoque progressus est, ut *οὐ πόῤῥω διθυράμβων ἔνια φθεγγόμενος* (Dionys. Halic. in *Lysia.* T. II. p. 82. Sylb.) ineptiret: unde *ῥήματα Γοργίεια*: quae facete imitando ridens Socrates, *Symp.* II. §. 26. *ἢν δὲ ἡμῖν*, inquit, *οἱ παῖδες μικραῖς κύλιξι πυκνὰ ἐπιψεκάζωσιν* (*ἵνα καὶ ἐγὼ ἐν Γοργιείοις ῥήμασιν εἴπω*) — *πρὸς τὸ παιγνιωδέστερον ἀφιξόμεθα.*

PROTAGORAE nomen tantum in Xenophonte legitur loco supra l. ubi cum ceteris eius avaritia et arrogantia carpitur: quae quidem quaestus faciendi aviditas apertius etiam exprobratur PRODICO CEO *Symp.* IV. §. 62. ubi Socrates iocabundus, Antisthenis *προαγωγείαν* laudans: *οἶδα μὲν*, inquit, *σὲ Καλλίαν τουτονὶ προαγωγεύσαντα τῷ σοφῷ Προδίκῳ, ὅτι ἑώρας τοῦτον μὲν φιλοσοφίας ἐρῶντα, ἐκεῖνον δὲ χρημάτων δεόμενον*: in quibus *lenocinii* mentio praeter iocum non vacat opprobrio in Sophistam. cf. omnino *Mem.* I. 6. §. 13.

In Prodico prae ceteris elucet facundia illa, quam Sophistarum propriam fuisse diximus. Huius in Xenophonte luculentum superest exemplum in lepidissima Herculis Prodicii fabula, quam praeter argumenti praestantiam commendant verborum lumina, orationis numeri et dulcedo fere incomparabilis (20). Hanc Aristippo memoriter recitat Socrates, *Mem.*

(17) Diod. Sicul. XII. Cap. 53.

(18) [*Γογγυλίζει* metrum iugulat, *γογγυλίει* quod Brunckius volebat, Atticis auribus inauditum est, sicuti *γογυλίζει*, quod in mentem venerat Bentlejo. Unice vera videtur Porsoni ratio *γογγύλλει* reponentis.]

(19) Quod testatur Dionys. Halic. in *Lysia* Tom. II. p. 82. Sylb. *ἥψατο δὲ καὶ τῶν Ἀθήνησι ῥητόρων ἡ ποιητική τε καὶ τροπικὴ φράσις, ὡς μὲν Τίμαιός φησι, Γοργίου ἄρξαντος, ἡνίκα Ἀθήναζε πρεσβεύων, κατεπλήξατο τοὺς ἀκούοντας ἐν τῇ δημηγορίᾳ.* Ridicula in hoc genere exempla ex Gorgia habet Aristot. *Rhetor.* III. 3.

(20) Quo magis dolendum est, si quid in ea fuerit obscurum aut corruptum, quo pertinet locus §. 26. ubi Voluptas ait: *οἱ μὲν ἐμοὶ φίλοι καλοῦσί με Εὐδαιμονίαν, οἱ δὲ μισοῦντες ὑποκορι-*

Mem. II. 1. §. 21 *sqq.*; quod autem addit §. 34. οὕτω πως διώκει (21) Πρόδικος τὴν ὑπ' Ἀρετῆς Ἡρακλέους παίδευσιν· ἐκόσμησε μέντοι τὰς γνώμας ἔτι μεγαλειοτέροις ῥήμασιν ἢ ἐγὼ νῦν. haud obscure indicat Prodicum in dicendo fuisse passim tumidiorem. Cf. omnino doctiss. I. Geel in *Hist. Crit. Sophist.* pag. 106.

Erat ea Prodici declamatio celeberrima. ὅπερ δὴ καὶ πλείστοις ἐπεδείκνυτο *Mem.* I. I. §. 21. cf. Geel. pag. 132 *sqq.* et dici vix potest, quanto studio eam Recentiores omnis generis scriptores expresserint aut imitati fuerint; de quo argumento omnia collegit Cl. Hemsterhusii diligentia in *Anecdotis*, quae Doct. Geel anecdota esse noluit, pag. 5 *sqq.* Laudat hanc Xenophon ex opere Prodici, quod vocat Σύγγραμμα τὸ περὶ τοῦ Ἡρακλέους, cuius Titulus fuit Ὧραι, si Suidae v. Πρόδικος et Ὧραι et ex eo Eudociae pag. 365. fides constat.

Quod autem bis cognomine τοῦ σοφοῦ decoratur. *Mem.* I. I. §. 21. *Symp.* IV. §. 62. videtur potius ad exagitandam Sophistae arrogantiam, quam ad doctrinae et sapientiae laudem referri; quod imprimis Platoni solemne est. cf. Groen. pag. 88.

Hunc excipiat HIPPIAS ELEUS, eruditione et variarum rerum peritia insignis, fastu tamen et arrogantia insignior. Cum eo Socrates *Mem.* IV. 4. disputans inducitur, sed longe diversa ratione, quam apud Platonem ipsius iactantiam et futiles opiniones arguere solet. Hinc viris doctis oborta est suspicio, Xenophontem in eo colloquio magis quid Socratem deceret, quam quid in Hippiae ingenium et mores conveniret, spectasse. Cf.

ριζόμενοι ὀνομάζουσί με Κακίαν. Quantopere illud ὑποκοριζόμενοι torserit Interpretes, interpretationes et emendationes huius loci satis declarant. Locus sine dubio mendosus est, neque heri aut nudius tertius est corruptus, nam Suidas, aliique Grammatici ita legerunt et ὑποκορίζεσθαι pro imperio interpretantur διασύρειν, quod a notione huius verbi plane alienum est. Coniecimus legendum esse ὑποκνιζόμενοι, ut significet Prodicus, eos, qui voluptatis, quam se consequi posse desperant, *desiderio pungantur*, atque adeo oderint. Nam ὑποκνίζειν nihil aliud est, quam *desiderio pungere*, Aristaen. *Epist.* II. 1. χαριέστατον οἶδα τὸ σμικρὸν ὑποκνίζειν τοὺς νέους· τοῦτο γὰρ τῶν ἀφροδισίων προαναστέλλει τὸν κόρον. hinc ὑποκνίζεσθαι est *desiderio pungi*. Plutarchi in *Syll.* Cap. XXXV. δῆλος εὐθὺς ἦν ὑποκεκνισμένος. Ipse Xenophon *Mem.* III. 11. §. 3. ἄπιμεν ὑποκνιζόμενοι καὶ ἀπελθόντες ποθήσομεν qui locus inprimis cum nostro comparandus est, et vocis vim luculenter declarat.

His demum perscriptis incidi in exquisitam Wyttenbachii annotationem de verbo ὑποκορίζεσθαι ad Plutarchum librum *de Adulatore et Amico*, ubi haud sine voluptate vidi eam emendationem a summo viro fuisse occupatam: quia tamen eam non nisi indicavit, neque argumentis confirmavit, scripta abolere non opus esse visum est.

(21) [Merito διώκει Ruhnkenio et Valckenario fuit de mendo suspectum, qui διῴκει restituere voluerunt. Sed omnino recipienda est lectio διοικεῖ, quam servavit Stobaeus Tit. I. 101. pag. 72. Ed. Gaisf.]

Cf. Groen. pag. 93. quemque ibi laudat Heindorf. ad *Protag.* p. 560. Agitur hic fides Xenophontis, quam paucis tueri conabimur. Non fingit ille Hippiae et Socratis colloquium, sed revera habitum et ipsum se adfuisse affirmat, quum iterum Athenas advenisset Hippias §. 5, quod cui bono in re minime necessaria de suo finxisse existimetur? Per totum colloquium Socratis *εἰρωνεία* et ioci Hippiae vanitati et arrogantiae facetissime opponuntur. Audiens Socratem disputantem: ceterarum artium esse magistros, iustitiae non item: *ἔτι γὰρ σὺ, ἔφη, ὦ Σώκρατες, ἐκεῖνα τὰ αὐτὰ λέγεις, ἃ ἐγὼ πάλαι ποτέ σου ἤκουσα;* qui Socrates: *ὃ δέ γε τούτου δεινότερον, ἔφη, ὦ Ἱππία, οὐ μόνον ἀεὶ τὰ αὐτὰ λέγω, ἀλλὰ καὶ περὶ τῶν αὐτῶν· σὺ δ᾽ ἴσως διὰ τὸ πολυμαθὴς εἶναι περὶ τῶν αὐτῶν οὐδέποτε τὰ αὐτὰ λέγεις.* Cuius dicti aculeum non sentiens et sibi placens: *ἀμέλει*, inquit, *πειρῶμαι καινόν τι λέγειν ἀεί.* quo quid Socrate et Hippia dignius? Mox more suo ita iactat: *περὶ μέντοι τοῦ δικαίου πάνυ οἶμαι νῦν ἔχειν εἰπεῖν, πρὸς ἃ οὔτε σὺ, οὔτ᾽ ἂν ἄλλος οὐδεὶς δύναιτ᾽ ἀντειπεῖν.* In eo tamen cautus et Socraticarum artium bene sciens, ut primum ipsius exquirat sententiam §. 9. quam cum callide premere frustra tentasset §. 11, mox luculenter ita exponit, ut iustitiam statuat esse obedientiam Legibus, et patriae §. 13 *sqq.* et *ἀγράφοις*, quas ipse Deus nostris omnium insculpserit animis §. 19 *sqq.* Atque his Hippiae ita movetur animus, ut egregia sua plane taceat et ad Socratis accedat sententiam. In quo Hippiae docilitatem mirati viri docti, Xenophontis fidem in dubium vocarunt. Verum quid mirum Socratem Sophistas non semper iocando et cavillando illusisse, sed etiam serio disputando ipsorum opiniones refutasse? Quid mirum Sophistas, ipsius calliditatem toties malo suo expertos, ab ea summopere sibi cavisse? Sensit homo nil se habere, quod illius argumentis opponeret et maluit ad ipsius accedere sententiam, quam argutando ineptus et ridiculus videri.

Vanum igitur videmus Hippiam, ut erat, et sibi placentem, neque tamen adeo stupidum, ut quibus saepe captus esset artibus, eas nec sentire nec effugere possit. Atque ita longe melius Sophistarum ingenia expressisse Xenophontem, nemo dubitabit, nisi qui in omnibus unius Platonis auctoritatem sequi decreverit.

Hippias memoria valebat felicissima: *ἅπαξ ἀκούσας*, ut ait in Platon. *Hipp. Mai.* p. 285. E. *πεντήκοντα ὀνόματα ἀπομνημονεύσω.* quae descripsit Philostr. in V. S, pag. 495; hinc *artem memoriae*, quam a Simonide inventam, (cf. Plin. H. N. VI. Cap. 24. Cic. *de Orat.* II. 86. *de Finibus* II. 32, alibi;) deinde Graeci magis magisque excoluerunt, (cff. auctores a Schneidero ll. ad *Symp.* IV. 62.) profitebatur. Plato l. l. *ἀλλ᾽ ἐγὼ οὐκ ἐνενόησα, ὅτι τὸ μνημονικὸν ἔχεις.* et in *Hipp. Min.* p. 368. *καίτοι τό γε μνημονικὸν ἐπελαθόμην σου, ὡς ἔοικε, τέχνημα, ἐν ᾧ σὺ οἴει λαμπρότατος εἶναι.* Eam lepide laudat in Callia Socrates *Symp.* IV. §. 62. *παρ᾽ οὗ (Hippiae) οὗτος τὸ μνημονικὸν ἔμαθεν, ἀφ᾽ οὗ δὴ καὶ ἐρωτικώτερος γεγένηται, διὰ τὸ, ὅ,τι ἂν καλὸν ἴδῃ, μηδέποτε ἐπιλανθάνεσθαι.*

Memoratur porro *Mem.* I. 6. ANTIPHON Sophista, de quo omnia, quae ex Veteribus constant, diligentissime collegit et exposuit Ruhnkenius in Diss. *de Antiphonte Rhamnusio* in *Opusc.* p. 249 *sqq.* Hunc iam olim cum oratore confuderunt, quare Adrantus quidam peculiarem librum scripsit περὶ τοῦ παρὰ Ξενοφῶντι ἐν τοῖς Ἀπομνημονεύμασιν Ἀντιφῶντος, ut auctor est Athen. XV. p. 673. Fuit autem is, auctore Suida in v. τερατοσκόπος καὶ ἐποποιὸς καὶ σοφιστής, ἐκαλεῖτο δὲ λογομάγειρος. Etiam somniis interpretandis operam dedit, de quo argumento libros scripsit, qui ab Artemidoro *Oneirocr.* II. 14. et aliis multis laudantur (22). Socrati, incertum, qua de causa infestus, ut auctor est Aristoteles ap. Diog. Laërt. II. 46. variis modis ipsi obtrectavit: discipulos ab eo abducere *Mem.* I. 6. §. 1. et quavis opportunitate eum confutare conabatur, sed impar congressus Achilli. *Mem.* l. l. Imo ipse et avarus esse arguitur *ibid.* §. 5. et luxuriosus, cui Socrates §. 10. ἔοικας, ὦ Ἀντιφῶν, τὴν εὐδαιμονίαν οἰομένῳ τρυφὴν καὶ πολυτέλειαν εἶναι: et videtur, ut recentiores omnes Sophistae, principum illorum expers facundiae et ingenii, vitia magis quam laudes fuisse imitatus.

Quod etiam in DIONYSODORUM convenit, quamvis apud Xenophontem *Mem.* III. 1. §. 1. inducitur tantum ἐπαγγελλόμενος στρατηγεῖν διδάξειν. Hic est igitur Dionysodorus Chius, qui cum fratre Euthydemo, relicta patria, Thurios primum se contulit; unde exsilio eiectus per multos annos degit Athenis, ut auctor est Plato in *Euthydemo* pag. 271. C. ubi primum uterque artem militarem professus est: ἐν ὅπλοις — αὐτώ τε σοφὼ πάνυ μάχεσθαι καὶ ἄλλον, ὃς ἂν διδῷ μισθόν, οἵω τε ποιῆσαι. *ibid.* pag. 271. D. τὰ γὰρ περὶ τὸν πόλεμον πάντα ἐπίστασθον, ὅσα δεῖ τὸν μέλλοντα ἀγαθὸν στρατηγὸν ἔσεσθαι, τάς τε τάξεις καὶ τὰς ἡγεμονίας τῶν στρατοπέδων καὶ ὅσα ἐν ὅπλοις μάχεσθαι διδακτέον, ut ait ipsis Socrates *ibid.* pag. 273. C. Mox tamen, his spretis ad Sophisticen se converterunt, in qua potissimum dicendi et disputandi artificia et τὴν ἐριστικὴν τέχνην amplexi, lepidissime a Platone cum alibi tum imprimis in *Euthydemo* ridentur. Cf. omnino Groen pag. 86 *sq.*

(22) Cf. Fabricius in B. G. Tom. II. p. 751. Harles. et J. C. Reiff. *ad Artemidorum* in Indice p. 442.

PARS

PARS TERTIA.

DE IIS QUI REBUS IN REP. AUT BELLO GESTIS INCLARUERUNT.

Quamvis eos passim in hisce libris Xenophon nominat, pauca tamen sunt, quae de iis memoratu digna refert, et plerique quidem notiores sunt, quam ut multis a nobis illustrentur. In his igitur ita versabimur, ut, quid Xenophon de singulis referat, enarremus, et, ubi erit opus, paucis illustremus, nec nisi raro, si cuius memoria sit obscurior, paullo uberius explicemus.

Ex iis, qui Socratem aetate antecesserunt, primus nobis esto LYCURGUS, quem Socrates, qui multis de causis Spartanam reip. formam, ab eo institutam, probabat cf. *Mem.* III. 5. §. 14 *sqq.* ante omnes admirabatur. Huius hanc praeclaram et veram laudem pronuntiat *Mem.* IV. 4. §. 15. *Λυκοῦργον δὲ τὸν Λακεδαιμόνιον καταμεμάθηκας, ὅτι οὐδὲν ἂν διάφορον τῶν ἄλλων πόλεων τὴν Σπάρτην ἐποίησεν, εἰ μὴ τὸ πείθεσθαι τοῖς νόμοις μάλιστα ἐνειργάσατο αὐτῇ.* Quibus operae pretium est, eiusdem apud Platonem laudes adiicere, de quibus cf. Groen pag. 21 *sqq.*

Neque minorem laudem tribuebat SOLONI, cuius philosophiam in praestantissimis Legibus admirabatur *Symp.* VIII. §. 39. De eius et DRACONIS Legibus, locus est *Oecon.* XIV. §. 4. sed difficilis et intricatus: ubi de furtis coercendis disputans Ischomachus, ita ait: *καίτοι τὰ μὲν καὶ ἐκ τῶν Δράκοντος νόμων, τὰ δὲ καὶ ἐκ τῶν Σόλωνος πειρῶμαι λαμβάνων, ἐμβιβάζειν εἰς τὴν δικαιοσύνην τοὺς οἰκέτας. — γέγραπται γὰρ ζημιοῦσθαι, ἐπὶ τοῖς κλέμμασι καὶ δεδέσθαι, ἤν τις ἁλῷ ποιῶν, καὶ θανατοῦσθαι τοὺς ἐγχειροῦντας.* Iam vero lex Draconis de furtis, sanguine scripta, notissima est: *μία γὰρ ὀλίγου δεῖν ἅπασιν ὥριστο τοῖς ἁμαρτάνουσι ζημία, θάνατος· ὥστε καὶ — τοὺς λάχανα κλέψαντας ἢ ὀπώραν ὁμοίως κολάζεσθαι τοῖς ἱεροσύλοις καὶ ἀνδροφόνοις.* Plutarch. in *Solon.* Cap. XVII. cf. A. Gellius N. A. XI. 13. quam Solon ita mitigavit, ut plerisque mulctam aut carcerem, raro mortem intentaret. vid. Petitus ad L. A. pag. 684 *sq.* Videtur autem in loco Xenophontis verborum ordo esse perturbatus, quem ita malim constituere: *καίτοι τὰ μὲν ἐκ τῶν Σόλωνος νόμων, τὰ δὲ καὶ ἐκ τῶν Δράκοντος πειρῶμαι λαμβάνων κ. τ. λ.* ut significet Ischomachus, se in plerisque mitiorem Solonis rationem sequi, at in nonnullas culpas graviores Draconis severitate animadvertere. Atque ita sequentia bene respondent: prio-

ra

ra enim Solonis legem, posteriora Draconis indicant; ἤν τις ἀλῷ ποιῶν et ἐγχειροῦντες variandae orationis causa posita sunt, neque adeo Weiskiana emendatione est opus.

Ex antiquioribus deinde memoratur THEMISTOCLES, qui prudentia et virtute Graeciam liberaverat *Symp.* VIII. §. 39. qui omnium sibi animos et amorem conciliaverat, nullis malis artibus sed rebus praeclare gestis *Mem.* II. 6. §. 13. cuius adeo nomen et fama vel apud Barbaros erat celebris *Mem.* III. 6. §. 2. Hunc Socrates prae ceteris laudare: hunc in egregii civis exemplar proponere solebat: de eo quaerebat πότερον διὰ ξυνουσίαν τινὸς τῶν σοφῶν ἢ φύσει τοσοῦτον διήνεγκε τῶν πολιτῶν, ὥστε πρὸς ἐκεῖνον ἀποβλέπειν τὴν πόλιν *Mem.* IV. 2. §. 2. Quod tritum fuisse philosophis disputandi argumentum, apparet etiam ex Aeschine, qui dicitur, Socratico Dial. I. περὶ τῆς ἀρετῆς; εἰ διδακτὸν Cap. 2.

Ex aequalibus Socratis primus nobis occurrit PERICLES ille, quo neminem Athenae tulere maiorem, quem eleganter et vere ψυχὴν τῆς πόλεως veteres dixerunt (1); in quem tamen Xenophontem deprehendimus iniquiorem. Inducitur *Mem.* I. 2. §. 40 *sqq.* cum Alcibiade adolescentulo de quaestione τί ἐστι νόμος disputans, sed ita disputans, ut Sophistam eumque vanum et imperitum tibi audire videaris, non virum egregium, longo rerum usu et prudentia omnium facile principem; quem adolescentulus, vix vigesimum agens annum, confutat ac tantum non irridet. Nescire se quid rei sit profitetur Alcibiades, tutoris cupide sciscitatur sententiam. Cui ille: ἀλλ' οὐδέν τι χαλεποῦ πράγματος ἐπιθυμεῖς: at mox (mirabile dictu) mancam et ineptam ponit *Legis* definitionem; quam quum adolescens facili negotio explosisset, sententiam Pericles primum retractat, deinde ad incitas iterum redactus nil nisi se quoque iactat ista aetate multum istiusmodi disputationibus valuisse. Cui Alcibiades: εἴθε σοι, ὦ Περίκλεις, τότε συνεγενόμην, ὅτε δεινότατος σαυτοῦ ταῦτα ἦσθα (2). In quo latere aculeum quis non sentit? quasi scilicet effoetae ingenii vires iam cuivis vel leviori disputationi non sufficerent.

Haud scio an Xenophon ita obscure significare voluerit Periclem aetate provectiorem, dum nimium Sophistis tribueret, ingenii acumine esse imminutum. Constat eum Gorgiam, etsi magistrum non habuit, quod falso quidam existimant (3), ea aetate plurimi

(1) Max. Tyr. XIII. p. 143. εἷς ἀνήρ, οἷον ψυχὴ πόλεως, ὁ Περικλῆς ἐκεῖνος.

(2) Olim suspicatus sum hic Xenophonti exquisitum Graecismum esse restituendum, legendo δεινότατος αὐτὸς αὑτοῦ. Non aliter enim solent optimi quique Attici scriptores. Vim exemplorum suppeditabit Hoogev. ad *Viger.* II. 2. 12.

(3) Huius opinionis fons est locus male intellectus Philostrati in *Vita Gorg.* pag. 491. ὁ δέ γε (*Gorgias*), οἶμαι, καὶ τοὺς ἐλλογιμωτάτους ἀνηρτήσατο, Κριτίαν μὲν καὶ Ἀλκιβιάδην νέω ὄντε, Θουκυδίδην τε καὶ Περικλέα ἤδη γηράσκοντε: nihil enim aliud sibi voluit Philostratus, nisi Gorgiam Periclem aetate iam provectum *in admirationem sui rapuisse.* (nam hoc est

fecisse atque eius dicendi genus studiose esse imitatum cff. *Olear.* ad Philostr. in *Vit. Gorg.* p. 449. et imprimis Geel in H. C. S. pag. 58. Et sane desipientis est disputatio, quam, auctore Plutarcho in vita Cap. XXXVI, cum Protagora nugatus est. Refert enim, quum Pentathlus quidam in certamine imprudens Epitimium Pharsalium iaculo perfodisset, Periclem per totum diem anxie cum Protagora explorasse, utrum culpa *κατὰ τὸν ὀρθότατον λόγον* in iaculum, an in Pentathlum, an in Agonothetas esset conferenda; nugae! sed bonum factum, quod Plutarchus mox adiecerit, esse rumorem a Xanthippo, damnoso et stolido filio in patris dedecus fictum et sparsum: unde tamen confici posse videtur multum Periclem cum Sophistis fuisse domi. Sed quidquid huius rei est, ea omnia anxie conquirere et in tanto viro acerbe notare certissimum est alieni animi indicium.

Alia sunt etiam graviora. Socrates *Mem.* II. 6. §. 13. cum Critobulo de conciliandis amicis disputans, ait esse quasdam *ἐπῳδὰς*, quibus facile concilietur amor. Quaerit ille an ipse aliquot teneat. — *Οὐκ· ἀλλ' ἤκουσα μὲν, ὅτι Περικλῆς πολλὰς ἐπίσταιτο, ἃς ἐπᾴδων τῇ πόλει ἐποίει αὐτὴν φιλεῖν αὐτόν.* Cui Critobulus: *Θεμιστοκλῆς δὲ πῶς ἐποίησε τὴν πόλιν φιλεῖν αὐτόν; — Μὰ Δί', οὐκ ἐπᾴδων, ἀλλὰ περιάψας τι ἀγαθὸν αὐτῇ.* Quae dicta egregiam eloquentiae laudem habent cum acerbo opprobrio coniunctam (4): quod scilicet quum cives eloquentiae vi, quo vellet, duceret, ea non ad communem patriae utilitatem fuerit usus; eoque inferior Themistocle, qui, eloquentiae laude non ita commendatus egregiis factis amorem civium non praestigiis fuerit consecutus.

Hinc facile adducar, ut credam in *Symp.* VIII. §. 39. *σκεπτέον ποῖά ποτε εἰδὼς Περικλῆς κράτιστος ἐδόκει τῇ πατρίδι σύμβουλος εἶναι*, illud *ἐδόκει* invidia non carere.

Pericles tres habuit filios; duos legitimos ex Isandri filia Xanthippum et Paralum, tertium ex Aspasia susceptum, nothum: ex lege, quam ipse pertulerat *μόνους Ἀθηναίους εἶναι τοὺς ἐκ δυοῖν Ἀθηναίοιν γεγονότας.* Plutarch. in *Pericl.* Cap. XXXVII. cf. Petit. ad L. A. p. 213 *sq.* Quum vero pestilentia legitimum utrumque absumsisset, populus misericordia motus, hunc civem esse et patris de nomine dici concessit. Plutarch. *ibid.*

est *ἀναρτᾶσθαι*, et probabiliter Int. *suspensos ab ore tenebat*). Ingeniosa igitur, sed minime necessaria est coniectura Doct. Geelii, locum accipientis, de *scriptis* Gorgiae ante ipsius adventum Athenas perlatis, in *Hist. Crit. Sophist.* p. 19: quem etiam miror cogitasse de Thucydide historico, quum et temporum ratio et vel ipse ordo nominum satis ostendant, significari Thucydidem Melesiae F., celeberrimum Periclis in rep. adversarium.

(4) Cui non hic occurrunt celeberrimi Eupolidis de Periclis eloquentia versiculi:

Πειθώ τις ἐπεκάθητο τοῖσι χείλεσιν
Οὕτως ἐκήλει, καὶ μόνος τῶν ῥητόρων
Τὸ κέντρον ἐγκατέλειπε τοῖς ἀκροωμένοις.

de quibus omnia dixit *Wyttenbachius* ad Plutarch. de S. N. V. pag. 7 sqq.

ibid. Suidas. v. *δημοποίητος*. Atque hic est PERICLES, qui occurrit *Mem.* III. 5. egregius iuvenis, antiquae virtutis, modestia pariter et rei civilis et militaris peritia insignis, uti passim in eo colloquio apparet. Patris vestigiis insistens. §. 22. corruptos civium mores, labentem et fere extinctam disciplinam militarem indignatus §. 15 *sqq.* magnam optimis civibus et Socrati, cui acceptissimus erat, spem iniecerat, fore ut, eo Praetore, lapsae Atheniensium res restituerentur. §. 1. sed fata aliter voluerunt. Nam Praetor creatus cum IX collegis (Xenoph. *Hellen.* I. 5. §. 16.) victor ad Arginusas, propter naufragos, quod per tempestatem non licuisset, non receptos, iniquo iudicio circumventus, frustra obnitentibus et optimis civibus (Aeschin. Socrat. Dial. III. Cap. 12.) et ipso ante omnes Socrate (cff. *Mem.* I. 1. §. 18. IV. 4. §. 2. *Hellen.* I. 7. §. 15.) cum collegis omnibus, qui non effugerant, necatus est. Cff. etiam Diod. Sic. XIII. Cap. 74 *sqq.* Plutarch. in *Pericl.* Cap. XXXVII.

Ex his collegis duo memorantur *Mem.* I. 1. §. 18. THRASYLUS et ERASINIDES, quorum tamen nomina in re sua aetate omnibus notissima Xenophontem non adscripsisse iure mihi quidem statuere videtur Valcken. ad h. l. pag. 315.

Et Erasinidem quidem maxime illius iudicii iniquitas nobilitavit. Cf. Valcken. l. l. Thrasylum, acerrimum Democratiae vindicem et bello strenuum, cognoscimus ex Thucydide, qui eius res gestas VIII. 73. 75 *sq.* et 104 *sq.* attingit.

NICIAS, Nicerati F. mentio iniicitur *Mem.* II. 5. §. 2. ubi narratur *ἐπιστάτην εἰς τἀργύρια πρίασθαι ταλάντου.* Nec mirum; nam quas habebat maximas divitias, ex metallis Laureoticis confecerat. Plutarch. in *Nic.* Cap. IV. *ἐκέκτητο ἐν τῇ Λαυρεωτικῇ πολλὰ καὶ μεγάλα εἰς πρόσοδον, οὐκ ἀκινδύνους δὲ τὰς ἐργασίας ἔχοντα* (5), *καὶ πλῆθος ἀνδραπόδων ἔτρεφεν αὐτόθι καὶ τῆς οὐσίας ἐν ἀργυρίῳ τὸ πλεῖστον εἶχεν.* Alebat ibi mille operarios, quos mercede locabat. Xenoph. *de Vectig.* IV. §. 14. Sed quia erat timidus et fugitans litium, sycophantarum calumnias redimere solebat et *ἐδίδου οὐχ ἧττον τοῖς κακῶς ποιεῖν δυναμένοις ἢ τοῖς εὖ πάσχειν ἀξίοις*, (Plutarch. *ibid.* Cap. V.) donis et largitionibus opes imminuit, et, ut Hiero quidam ap. Plutarch. l. l. ait: *καὶ τοὺς φίλους προςαποβέβληκε τοῖς χρήμασι πολιτευόμενος*, et a Syracusanis occisus Thucyd. VII. 86. Nicerato filio vix XIV talenta reliquit. cf. Lysias *de bonis Aristoph.* pag. 648 Reisk (6).

AL-

(5) *Periculosas* vocat Plutarchus istas operas, quum propter alia, tum maxime propter aërem in metallis insalubrem et pestilentem. cf. *Mem.* III. 6. §. 12.

(6) Quem locum, quum *Marklandus*, vir ceteroquin acutissimus, corruperit magis quam emendaverit, apponamus. *ὁ τοίνυν Νικίου οἶκος προςεδοκᾶτο εἶναι οὐκ ἔλαττον ἢ ἑκατὸν ταλάντων καὶ τούτων τὰ πολλὰ ἔνδον εἶναι. Νικήρατος δ' ὅτ' ἀπέθνησκεν ἀργύριον μὲν ἢ χρυσίον οὐδ' αὐτὸς ἔφη καταλιπεῖν οὐδὲν, ἀλλὰ τὴν οὐσίαν, ἣν κατέλιπε τῷ υἱεῖ οὐ πλείονος ἀξία ἐστὶν ἢ τεττάρων καὶ δέ-*

Alcibiadis cum Socrate consuetudinem memoravit Xenophon *Mem.* I. 2. In eo erant omnia, quae ad optima et maxima quaeque adolescentem perducant. Honoris et gloriae appetens, quum Socratem videret continentissimum, paucis beatum, omnibus ingenii acumine adeo superiorem, ut dicendo, quo vellet, auditorum duceret animos, his artibus sibi opus esse sentiens, ad eum se applicuit. Quas ubi se consecutum esse satis sperabat, magistrum deseruit, et ad remp. capessendam animum appulit. Sed *διὰ μὲν κάλλος ὑπὸ πολλῶν καὶ σεμνῶν γυναικῶν θηρώμενος, διὰ δύναμιν δὲ τὴν ἐν τῇ πόλει καὶ τοῖς συμμάχοις ὑπὸ πολλῶν καὶ δυνατῶν κολακεύειν ἀνθρώπων διαθρυπτόμενος, ὑπὸ δὲ τοῦ δήμου τιμώμενος καὶ ῥᾳδίως πρωτεύων, ὥσπερ οἱ τῶν γυμνικῶν ἀγώνων ἀθληταὶ ῥᾳδίως πρωτεύοντες ἀμελοῦσι τῆς ἀσκήσεως, οὕτω κἀκεῖνος ἠμέλησεν αὐτοῦ*, ut egregie Xenophon *Mem.* I. 1. §. 24. Hinc prorsus tandem depravatus *τῶν ἐν δημοκρατίᾳ πάντων ἀκρατέστατός τε καὶ ὑβριστότατος* factus §. 12. multorum patriae malorum fuit auctor, quae Xenophon excusare nec voluit §. 13, nec potuit.

Eadem Critiae, Callaeschri F., ratio fuit, qui nobilissimo genere et divitiis conspicuus (7), ingenii quam animi dotibus fuit insignior. Nam quamvis naturâ et ingenio ad res gerendas et remp. capessendam maxime ferebatur, felicissimam tamen Poësi et literis operam navavit (8). Eodem, quo Alcibiades, consilio Socratis consuetudine utebatur-

δέκα ταλάντων. Ubi Vir Doctus haec annotavit: » *Nicerati, Niciae filii, cum laude meminit » Demosthenes in Midian. sed ille Niceratus erat ἄπαις, unde pro καταλιπεῖν legendum esse » censeo καταλαβεῖν* invenisse, *et verba ista* praedia vero, quae filio reliquit, *intelligenda » esse de praediis, quae Nicias Nicerato filio reliquit.*" Sed fallitur vir doctiss. Nam Niceratus habuit filium, quem memorat Lysias *contr. Poliuchum.* §. 10. et nepotem Niceratum, quem memorat Demosth. in *Midiana* pag. 567. R.

(7) De Critiae generis nobilitate cf. Philostr. p. 501. Platonis testimonia vid. apud Groen. p. 138.

(8) Nam et *Elegias* scripsit pulcherrimas, ut ex luculentis fragmentis ap. Athen. cognoscitur v. g. I. p. 28. X. p. 432 *sq.* XIII. p. 600. et *alibi:* celebratas etiam a Plutarcho in *Cimone* et *Alcibiade* et *alibi.*

Scripsit et *Tragoedias* adeo pulchras, ut eiusne essent an Euripidis ambigeretur Athen. XI. p. 496. *ὁ τὸν Πειρίθουν γράψας εἴτε Κριτίας ἐστὶν ὁ τύραννος ἢ Εὐριπίδης*, ubi qui submittuntur duo versus sunt *Anapaesticus Dim.* cum *Paroemiaco* ita constituendi:

ἵνα πλημοχόας τάσδ' εἰς χθόνιον
χάσμ' εὐφήμως προχέωμεν.

Egregiam *ῥῆσιν* ex Critiae Tragoedia laudat Sext. Empir. *adv. Mathem.* IX. 54. pag. 562. Fabr. ubi suavissimis et pulcherrimis versibus contendit, nullos esse Deos, sed fictos esse a sapienti viro, ut homines Deorum metu a multis facinoribus, quae clam impune committerent, revocarentur: unde etiam Critias *ἄθεος* est habitus. Sext. Empir. l. l. Sed ecce, Plutarchus

batur: non ut eius virtutem et sapientiam aemularetur: mori enim maluisset, (*Mem.* I. 2. §. 16.) sed quo peritior ad remp. et res in populo agendas accederet. §. 15. Genere autem et magis etiam ingenio a populi partibus alienus et Spartanam imperii formam unice admiratus, quum esset et haberetur *μισοδημότατος* in exsilium eiectus est, et Thessaliam petiit: *ἐκεῖ συνῆν ἀνθρώποις ἀνομίᾳ μᾶλλον ἢ δικαιοσύνῃ χρωμένοις* *Mem.* I. 2. §. 24. infame enim erat apud Graecos omne Thessalorum genus (9): et Penestas ibi, infimae sortis homines, ad seditionem provocavit, cum Prometheo tyranno *δημοκρατίαν κατασκευάσειν* Xenoph. *Hellen.* II. 3. §. 36: quod ne cui a Critiae ingenio videatur alienum, reputet discordiarum et tumultuum amantem animum, cui in istis quidem homini-

chus *de placitis Philos.* I. Cap. 7. ubi argumentum horum versuum affert et laudat nonnullos, tribuit Euripidi, qui metuens Areopagum, ex Sisyphi impii persona hancce sententiam retulerit. Critiae tamen eos esse vix dubium est. Cff. Valcken. *Diatrib.* p. 208 *sq.* Pierson. *Verisim.* p. 135.

Praeter carmina alia scripsit: imprimis praeclarum opus, quod *Πολιτείας* videtur inscripsisse: ex quo laudatur *Πολιτεία Θετταλῶν* ap. Athen. XIV. p. 663. A. nam ibi ex certa *Casauboni* coniectura pro *Κρατῖνος* restituendum est *Κριτίας*. Sed imprimis celebratur eius *Πολιτεία τῶν Λακεδαιμονίων*, quam passim laudant Plutarchus in *Lycurgo*, Athenaeus XI. p. 463. F 483. B. 488. C. et *alibi*. Harpocration v. *Λυκιουργεῖς* et alii. Huius operis insigne fragmentum latet apud Clem. Alexandr. *Strom.* VI p. 620. *Κριτίας· Ἄρχομαι δέ τοι ἀπὸ γενεῆς ἀνθρώπου, πῶς ἂν βέλτιστος γένοιτο τὸ σῶμα καὶ ἰσχυρότατος, εἰ ὁ φυτεύων γυμνάζοιτο καὶ ἐσθίοι ἐῤῥωμένως καὶ ταλαιπωροίη τὸ σῶμα καὶ ἡ μήτηρ τοῦ παιδίου τοῦ μέλλοντος ἔσεσθαι ἰσχύοι τὸ σῶμα καὶ γυμνάζοιτο.* Ubi legendum est, *πῶς ἂν οὐ βέλτιστος*. Critiam hic Lycurgi instituta celebrare palam est, vid. Plutarch in *Lyc.* Cap. XIV *sq.*

Denique, ne de Critiae philosophiae studio dicamus, orator fuit disertissimus. Refertur a Cicer. in *Bruto* Cap. 7. ad eos, qui » *grandes erant verbis, crebri sententiis, compressione* » *rerum breves et ob eam ipsam causam interdum subobscuri.*" Cf. *de Orat.* II. 23. Philostratus *de Vit. Sophist.* I. 16. p. 503. ait fuisse Critiae orationem gravem et crebram sententiis, *ὥσπερ ἀκτίνων αὐγαὶ τὰ Ἀττικὰ ὀνόματα διαφαίνεται τοῦ λόγου.* Simplicitas eius et perspicuitas innuitur apud Dionys. Halic, Tom. II. pag. 161 Sylb. In acie quam in pompa illustris esse maluit, uti constat ex Dionys. l. l. pag. 111. Corrigendus est Philostratus l. l. ubi de eo: *ὁρῶ τὸν ἄνδρα — δεινῶς καθαπτόμενον ἀπολογίας εἴδει*: alii *ἤθει*. Sed legendum *εἰ δεῖ*, vel quod malim *ᾗ δεῖ*.

(9) Plato in *Criton* pag. 53. D. *ἐκεῖ γὰρ (ἐν Θετταλίᾳ) δὴ πλείστη ἀταξία καὶ ἀκολασία.* Cf. Athen. XII. p. 527. ex *Theopompo*, XIV. p. 624. ex *Heraclide Pontico*, et p. 663. A. Philostr. in *Vita Crit.* p. 501. *παρ' οἷς ἀγερωχίαι καὶ ἄκρατος καὶ τὰ τυραννικὰ ἐν οἴνῳ σπουδάζεται*: qui acute tamen p. 502. *Κριτίας ἂν εἴη Θετταλοὺς διεφθορὼς μᾶλλον ἢ Κριτίαν Θετταλοί.*

De Thessalorum *Πενεσταῖς* vid. Ruhaken. ad Tim. *Lexic.* p. 212.

nibus indulgere facile erat. Neque adeo, reiecta fide Xenophontis, audiendus est **Philostratus**, qui Critiam in Thessalia nil aliud quam Oligarchias consilio et re adiuvisse scribit in *Vit. Critiae* I. 16. pag. 502.

Iam cum Socratis sermonibus interesset, libidinosus et intemperans (*Mem.* I. 2. §. 29.) exsilio exacerbatus animus (10) in saevitiam et crudelitatem vertit. In patriam a Spartanis debellatam redux et unus ex XXX viris (*Hellen.* II. 3. §. 2.) avare omnia et crudeliter gessit, *τῶν ἐν ὀλιγαρχίᾳ πάντων κλεπτίστατός τε καὶ βιαιότατος ἐγένετο. Mem.* I. 2. §. 12. Omnium etiam saevissimus (Justin. V. 9.) et XXX virorum *τὴν ἡγεμονίαν ἔχων* (Diod. Sic. XIV. 34.) in exsules, in miseros cives, in templa quoque saeviit. cf. Philostr. pag. 501. Nimium tamen est, nec fidem habet, quod addit: *βουλευόμενός τε ἄτοπον τοῖς Λακεδαιμονίοις ξυνελάμβανεν, ὡς μηλόβοτος ἡ Ἀττικὴ ἀποφανθείη, τῆς τῶν ἀνθρώπων ἀγέλης ἐκκενωθεῖσα.* Nec Socrati pepercit, a quo olim sua libido acriter coram multis esset reprehensa *Mem.* I. I. §. 29 *sq.* Nam legem sanxit: *λόγων τέχνην μὴ διδάσκειν* §. 31. ut hinc calumniarum in eum adesset materies; et liberius ipsorum scelera improbanti cum Charicle necem non obscure minitatus est *Mem.* ibid. §. 37.

Occidit Critias una cum Hippolocho et aliis in pugna adversus Thrasybulum et exsules. Xenoph. *Hellen.* II. 4. §. 12. Justin. I. I.

Critiae collega et familiaris memoratur CHARICLES *Mem.* I. I. Haud scio an sit eum, de quo ita *Teleclides* comicus ap. Plutarch. in *Nicia* Cap. IV.

Χαρικλῆς μὲν οὖν ἔδωκε μνᾶν, ἵν' αὐτὸν μὴ λέγῃ
Ὡς ἔφυ τῇ μητρὶ παίδων πρῶτος ἐκ βαλαντίου.

Et primum quidem populo acceptus et benevolus, unus fuit ex iis, qui de Hermis deiectis inquisiverunt. Andocides *de Myster.* Tom. IV. pag. 18. Reisk. *Πείσανδρος καὶ Χαρικλῆς, ὄντες μὲν τῶν Ζητητῶν, δοκοῦντες δ' ἐν ἐκείνῳ τῷ χρόνῳ εὐνούστατοι εἶναι τῷ δήμῳ*, et haud ita multo post, renovato cum Peloponnesiis bello, classi praefuit. Thucyd. VII. 20 et 26.

Afflictis autem Atheniensium rebus fuit ex XXX viris. Xenoph *Hellen.* II. 3. §. 2. cf. Harpocrat. in v. Et ipse crudelis et saevus Critiae erat amicissimus: quicum ad leges scribendas (*Mem.* I. 2. §. 31.) delectus, ex XXX viris impotentissimus fuit. Eius mentio cum Critia passim coniungitur. Lysias *contra Eratosth.* p. 420. Reisk. *οἱ δοκοῦντες εἶναι ἐναντιώτατοι Χαρικλεῖ καὶ Κριτίᾳ καὶ τῇ ἐκείνων ἑταιρείᾳ* et recte videtur *Reiskius* in Andocid. *de Myster.* pag. 50. reposuisse *Κριτίας ἢ Χαρικλῆς* pro vulgatis *ἀνεκρίνετ' ἄν*

(10) Hanc fuisse praecipuam saevitiae causam, declarat ipse Xenophon *Hellen.* II. 3. §. 15. ubi dicitur Critias. *προπετὴς ἐπὶ τὸ πολλοὺς ἀποκτείνειν, ἅτε καὶ φυγὼν ὑπὸ τοῦ δήμου.*

ἄν μέ τις ἄλλος ἢ Χαρικλῆς. Idem videtur restituendum in Aristot. *Politic.* V. 5. §. 4. *οἷον ἐν τοῖς τριάκοντα Ἀθήνησιν οἱ περὶ Χαρικλέα ἴσχυσαν τοὺς τριάκοντα δημαγωγοῦντες*, ubi quum Critiae mentio abesse non posse videatur, lubens legam οἱ περὶ Κριτίαν καὶ Χαρικλέα.

Charmides, Glauconis F., plane egregius adolescens, cui praeter animi ingeniique dotes, omnia homini nato exoptanda contigerant. Nobilissimo loco natus, Platoni et Critiae cognatus, genus ad Solonem referebat, divitiis idem et dignitate corporis conspicuus. cff. testimonia Platonis ap. Groen pag. 213 *sqq.* Quas laudes tanta ornabat modestia, ut, quantum ceteris praestaret, vix suspicari videretur. *Mem.* III. 7. Hinc quamvis *δυνατώτερος τῶν τὰ πολιτικὰ τότε πραττόντων* §. 1, quamvis primariis in rep. viris consiliis aderat, et si quid secus fecissent, reprehendebat §. 3. nimium tamen sibi ipse diffidens, vix nec nisi Socratis auctoritate permoveri potuit, ut ad remp. accederet. Fortunas, incertum quo casu, amisit. Nam quod Groen p. 214. ex Platonis *Theage* pag. 128. coniicit, eius opes, sumtibus ad ludos ambitiosius factis, corruisse, in tantis bonis verisimile non est, sed ex loco *Symp.* IV. §. 31. ubi ait: *ἐπειδὴ τῶν ὑπερορίων στέρομαι καὶ τὰ ἔγγαια οὐ καρποῦμαι καὶ τὰ ἐκ τῆς οἰκίας πέπραται* probabile videtur, bellum Peloponnesium et vastatam Atticam ipsius fortunas afflixisse. At paupertatem, si quis alius, aequissimo animo tulit: nil ab amicis, nil a cognatis accipere sustinuit. Cf. *Mem.* III. 6. §. 14 *sqq.* ferendo onus adeo leve reddidit, ut pro bono haberet: ex paupertate se graves divitiarum molestias effugisse iactabat, hinc se libertatem, hinc securitatem, quin etiam auctoritatem quandam esse consecutum. *Symp.* IV. §. 29 *sqq.* hinc Socrati, cui olim, indignantibus amicis, multum tribuebat, libere et ubique aderat. §. 32.

In rep. partim genere partim etiam ingenio Optimatum partes secutus est. Urbe a Spartanis occupata, fuit ex X Piraeei tyrannis (11) et una cum Critia et Hippolocho in proelio adversus exsules cecidit Xenoph. *Hellen.* II. 4. §. 19.

Pisander ὁ δημηγόρος memoratur *Symp.* VIII. §. 53. Iam Olympiade XC. Demagogus erat, ut ex Aristophane conficit *Schneid.* ad *Symp.* l. l. « *Populi potentiae* « *non*

(11) Horum historia iam post Taylori in *Vita Lysiae* p. 45. et 48. Reisk. in O. A. et Wyttenbachii ad *Select.* p. 411 *sqq.* diligentiam in aprico est. Ex loco Platonis, a Wyttenbachio l. satis apparet et XI viros in urbe, et X viros in Piraeeo XXX Tyrannorum imperio fuisse subiectos: unde mirum non est, vix ipsorum in huius temporis historia fieri mentionem. [Quin etiam ab ipsis Triginta Tyrannis fuerunt lecti, qui Senatum et *ceteros omnes Magistratus* pro arbitrio constituerunt. Xenoph. *Hellen.* II. 3. §. 11. Imprimis huc facit locus Diod. Sicul. XIV. 4. *βουλὴν δὲ καὶ τὰς ἄλλας ἀρχὰς (οἱ λ') ἐκ τῶν ἰδίων φίλων κατέστησαν, ὥστε τούτους καλεῖσθαι μὲν ἄρχοντας, εἶναι δ' ὑπηρέτας τῶν τριάκοντα.*]

a non amicus et optimatum fautor." auctore Nepote in *Alcib.* Cap. 5. Olympiade XCII. quum Praetor apud Samum haberet exercitum post cladem Siculam, cum Alcibiade egit, ut Democratiam dissolveret. Thucyd. VIII. 49. et 53: in quo insignis eius opera et studium fuit; ἐκ τοῦ προφανοῦς προθυμότατα ξυγκαταλύσας τὸν δῆμον dicitur Thucydidi *ibid.* Cap. 68. Auctor fuit decreti quo *Quadringenti* rebus constituendis eligerentur *ibid.* Cap. 67; quibus quum, sublata oligarchia, imperium esset abrogatum, Deceleam se recepit *ibid.* Cap. 98. et bona eius sunt publicata, auctore Lysia in Orat. *de Sacra olea* p. 262. Reisk.

Erat Pisander timiditate insigni: unde in *Symp.* l. l. Philippus scurra: καὶ μὴν ἔγωγε ἡδέως ἂν θεῴμην Πείσανδρον τὸν δημηγόρον μανθάνοντα κυβιστᾷν εἰς τὰς μαχαίρας, ὃς νῦν διὰ τὸ μὴ δύνασθαι λόγχαις ἀντιβλέπειν οὐδὲ συστρατεύεσθαι ἐθέλει. Hinc proverbium Πεισάνδρου δειλότερος apud Suidam. Laetum igitur Comicis fuit argumentum, ex quibus Plato integra fabula Πεισάνδρῳ eum notavit. Cf. Schol. ad Aristoph. *Aves* vs. 1555. Saepius ab Aristophane ridetur et propter avaritiam *Lysistr.* vs. 489. et superbiam. *Pac.* vs. 395. maxime ob timiditatem *Avib.* vs. 1551 *sqq.*

Πρὸς δὲ τοῖς Σκιάποσι
Λίμνη τίς ἐστ' ἄλουτος, οὗ
Ψυχαγωγεῖ Σωκράτης·
Ἔνθα καὶ Πείσανδρος ἦλθε
Δεόμενος ψυχὴν ἰδεῖν, ἣ
Ζῶντ' ἐκεῖνον προὔλιπε.

Ab Hermippo etiam et Eupolide exagitatus est. Schol. ad *Av.* l. l. et a Phrynicho in Μονοτρόπῳ cuius versiculos habet Scholiast. ad *Av.* vs. 11.

Μεγάλους πιθήκους οἶ δὲ ἑτέρους τινὰς λέγειν
Λυκέαν, Τελέαν, Πείσανδρον, Ἐξηκεστίδην

ubi videtur legendum οἶδ' (οἶδα) ἑτέρους τ. λ. et qui sequuntur versiculi ita constituendi et legendi

ἀνωμάλους
Εἶπας πιθήκους — — — —
— — — ὁ μέν γε δειλὸς, ὁ δὲ κόλαξ,
Ὁ δὲ νόθος.

Quamvis Comicos ἀνθρώπους σατυρικοὺς τοῖς βίοις καὶ τὰς κατὰ τῶν κρειττόνων βλασφημίας ὥσπερ δαίμονι κακῷ, τῷ φθόνῳ τῶν πολλῶν ἀποθύοντας, iudice Plutarcho in *Pericl.* Cap. XIII. non multum moramur, qui praesertim in rebus malis de magnis maiora loquentes, Pisandrum Optimatum partibus faventem quavis ratione diffamare voluerunt.

Idem ARCHEDEMO usu venisse videtur: viro, qui quum et dicendo valeret et rebus agendis acer esset et strenuus, pauper erat, quod nec turpi inhiaret lucro, neque adeo ca-

calumniando aliquid accipere sustineret. *Mem*, II. 9. §. 4. ἀνευρίσκουσιν Ἀρχέδημον, πάνυ μὲν ἱκανὸν εἰπεῖν τε καὶ πρᾶξαι, πένητα δέ· οὐ γὰρ ἦν οἷος ἀπὸ παντὸς κερδαίνειν, ἀλλὰ φιλόχρηστός τε καὶ εὐφυέστερος ὢν ἀπὸ τῶν συκοφαντῶν λαμβάνειν (12). Hunc Crito, a Sycophantis lacessitus, suadente Socrate, beneficiis sibi devinxit; quem quum Archedemus et ipsum et amicos magnopere adiuvisset, ipse, ut videtur, auctoritatem quamdam consecutus, ad remp. sibi viam muniit et brevi plurimum apud populum valuit. Post navale proelium ad Arginusas Erasinidem accusavit; τοῦ δήμου προεστηκὼς ἐν Ἀθήναις καὶ τῆς Δεκελείας ἐπιμελούμενος vocatus a Xenoph. *Hellen.* I. 7. §. 2. quod non cum Schneidero de *Praetore Urbano* videtur accipiendum, sed simpliciter indicare, eum fuisse προστάτην τοῦ δήμου, *Demagogum*. Cf. locus Aristoph. mox l.

Idem saepe a Comicis perstringitur, quibus γλάμων *lippus* audit cf. Aristoph. *Ran.* vs. 588. et *peregrinus* Aristoph. *Ran.* vs. 417 *sqq.*

Βούλεσθε δῆτα κοινῇ
Σκώψωμεν Ἀρχέδημον
Ὃς ἑπτέτης ὢν οὐκ ἔφυσε φράτορας (13),
Νυνὶ δὲ δημαγωγεῖ
Ἐν τοῖς ἄνω νεκροῖσι
Κἄστιν τὰ πρῶτα τῆς ἐκεῖ μοχθηρίας.

Acerbe idem a Lysia notatur in orat. *contra Alcib.* p. 536. Reisk. παῖς μὲν ὢν παρ' Ἀρχεδήμῳ τῷ γλάμωνι, τῷ οὐκ ὀλίγα τῶν ὑμετέρων ὑφῃρημένῳ, πολλῶν ὁρώντων ἔπινεν ὑπὸ τῷ αὐτῷ στρωματεῖ κατακείμενος. Nos tamen Xenophonti fidem habere malimus, quam aut nimium indignato oratori, aut cavillantibus Comicis, qui invidia et odio in potentem Demagogum ducebantur.

Me-

(12) Qui locus tamen, ut nunc legitur, est aliquantio impeditior. Ruhnkenius ὢν delet, cetera relinquit intacta. Sed ita ex his verbis nulla alia elici potest sententia, nisi: *Archedemum natura et ingenio fuisse prae ceteris idoneum, qui a Sycophantis corruptus acciperet pecunias:* quae tamen interpretatio et menti Xenophontis et ingenio linguae Graeca adversatur. Nam εὐφυὴς in rebus malis non dicitur, et ἀπὸ in tali constructione de rebus, παρὰ de personis usurpatur. Vere igitur *Schutzius*, probante *Weiskio*, ὢν in ἢ ὡς mutavit et pro συκοφαντῶν *Orellius* ad *Isocratem* p. 342. reposuit συκοφαντιῶν. Cf. *Schneid.* ad h. l. unde oritur aptissimus, quem expressimus, sensus: *natura et ingenio praestantior, quam ut ex calumniis pecunias accipere sustineret.*

(13) Lepidissimo ioco ita *peregrinitatis* notam ipsi obiicit. Exspectabas φραστῆρας, *dentes* aetatis indicium; praeter exspectationem subiecit φράτορας.

Idem Archedemo exprobavit Eupolis ἐν Βάπταις, laudatus in *Scholiis* ad h. l. ubi ut sententiae et metro Trochaico consulatur legendum est:

(Οὐκ) ἐπιχώριος δέ τ' ἐστὶ καὶ ξένης ἀπὸ χθονός.

Memoratur *Mem.* III. 5. §. 4. duplex clades ab Atheniensibus, ducibus Tolmida et Hippocrate, accepta: ubi Pericles iuvenis: *ὁρᾷς, ὅτι, ἀφ' οὗ ἥ τε σὺν Τολμίδῃ τῶν χιλίων ἐν Λεβαδείᾳ συμφορὰ ἐγένετο καὶ ἡ μεθ' Ἱπποκράτους ἐπὶ Δηλίῳ, ἐκ τούτων τεταπείνωται μὲν ἡ τῶν Ἀθηναίων δόξα πρὸς τοὺς Βοιωτούς, ἐπῆρται δὲ τὸ τῶν Θηβαίων φρόνημα πρὸς τοὺς Ἀθηναίους.* Hippocrates ille est filius Ariphronis, cuius res gestas enarrat Thucydides passim Lib. IV. ubi clades ad Delium accepta refertur Cap. 93 *sqq.*; in qua Hippocrates ipse cecidit Cap. 101. Eandem memorat Plutarchus in *Nicia* Cap. V. *ἐν δὲ Δηλίῳ (οἱ Ἀθηναῖοι) χιλίους αὐτῶν ἀπέβαλον, Ἱπποκράτους ἡγουμένου* cf. Pausan. III, 6. pag. 217. et IX. 6. pag. 724. Pertinet haec clades ad Olympiadis LXXXIX. ann. I, et interfuit ipsi Socrates. cff. Plato in *Symp.* pag. 221 A. Strabo Lib. IX. pag. 400. Diog. Laërt. II. 23.

Tolmidas est filius Tolmaei, in bello Peloponnesio Dux Atheniensium. Thucyd. I. 108. in quo res ab eo gestas copiose enarrat Pausan. I. 27. pag. 65. Gloria et successu elatus in Boeotiam importuno tempore invadere voluit, quamvis dissuadente Pericle, qui ipsum admonuit, *ὡς εἰ μὴ πείθοιτο Περικλεῖ, τόν γε σοφώτατον οὐχ ἁμαρτήσεται σύμβουλον ἀναμείνας χρόνον.* Plutarch. in *Pericl.* Cap. XVIII. Sed obstinato animo decem millia hominum et in his praestantissimum et fortissimum quemque abduxit: mox cum Boeotis manum conserens, fortissimis occisis, victus cecidit, ut auctores sunt Thucydides I. 113. Plutarch. l. l. et in *Vit. Agesilai* Cap. XIX. Pausan. l. l., qui tamen de loco, ubi pugnatum est, variant. Thucydidi et Plutarcho est *Coronea* (14), *Haliartus* Pausaniae, Xenophonti *Lebadea*, quod, monente Ernesti ad *Mem.* l. l. ita componitur. quod Lebadea sit prope Coroneam, sive potius inter Coroneam et Haliartum media, et nihil sit frequentius, quam loca vicina permutari; praesertim in proeliis commemorandis, quae in plurium locorum vicinia fiant: de quo conferre iubet Vir Cl. Drakenborch. ad *Liv.* XXXIX. 49.

Cyri iunioris, quem unum omnium maxime Xenophon amavit et admiratus est, quem merito in *Anabasi* I. 9. §. 1. vocat *τῶν μετὰ Κῦρον τὸν ἀρχαῖον βασιλικώτατόν τε καὶ ἄρχειν ἀξιώτατον*, laudes luculenter celebrat, opportunitate data, *Oecon.* IV. 16 *sqq.* ubi *εὐδοκιμώτατος βασιλεὺς* dicitur, atque *εἰ ἐβίωσεν, ἄριστος ἂν δοκεῖ ἄρχων γενέσθαι.* Belli peritissimum militum suorum amor complexus est, qui nec vivum unquam deseruerunt et mortuo superstites esse noluerunt. Idem agriculturae amantissimus; cuius studio tantum, quantum bellicis artibus, tribuebat §. 17. Eius colloquium de eo argumen-

(14) [Fallitur Ernesti, quum dicit *Chaeroneam* a Thucydide nominari. Nam hic ait: Athenienses Chaeroneam captam praesidio muniisse, deinde ad Coroneam esse progressos. Thucydidem e vestigio sequitur Diod. Sic. X. 6.]

mento cum LYSANDRO Sardibus in Paradiso habitum refertur §. 21 *sqq.*, notissimum vel ex Ciceronis libro *de Senectute* Cap. 17.

Huius dux ARIAEUS memoratur §. 19. ἀποθανόντι συναπέθανον πάντες περὶ τὸν νεκρὸν μαχόμενοι πλήν γε Ἀριαίου. Ἀριαῖος δ' ἔτυχεν ἐπὶ τῷ εὐωνύμῳ κέρατι τεταγμένος. Sed verba ista πλήν γε — τεταγμένος manifeste sunt interpolata ex *Anab.* I. 8. §. 9. Nam Ariaei mentio nec huius loci est et totam orationem mirifice conturbat. Merito igitur glossema *Heindorf* et alii eiecerunt.

Nimis etiam diu in omnibus Xenophontis Edd. HERMOCRATES Syracusanus Dux fortissimus et merito clarissimus (cff Thucyd. IV. 58 *sqq.* VI et VII. passim. Xenoph. *Hellen.* I. 1. §. 27 *sqq.*) nominatus est *Mem.* I. 2. §. 48. inter eos, qui veri Socratis amici non rerum agendarum aut eloquentiae gloriam, sed virtutis laudem quaererent: ubi certissima coniectura Groen pag. 226. pro *Hermocrate* Ἑρμογένη restituit.

PARS QUARTA.

DE IIS, QUI ARTIUM ET DISCIPLINARUM STUDIO INCLARUERUNT.

Ad eos referendus est primus ACUMENUS Medicus, Socrati familiaris, *Mem.* III. 13. §. 2. ubi temperantiam docet esse optimum cibi condimentum. Meminit eius Plato in *Phaedro* p. 227. et *alibi.* Haud scio an idem sit, qui memoretur ab Andocide *de Myst.* pag. 3. Reisk. Nomen eius restituit Leo Allatius in *Epist. Socrat.* XIV. pro vulgato ἀκούομεν τὸν μαθόντα τὰ ἰατρικά. cf. Valcken. ad *Mem.* I. 1. pag. 523.

Socrates *Mem.* III. 10. inducitur disserens de arte pingendi cum PARRHASIO Euenoris F., celeberrimo pictore, Ephesio, qui plurimum tamen degit Athenis. « *Primus*," auctore Plinio H. N. XXXV. 10. « *symmetriam picturae dedit*, *primus argutias* « *vultus*, *elegantiam capilli*, *venustatem oris*, *confessione artificum in lineis extre-* « *mis palmam adeptus.*" His plane adversari Weiskio visus est locus *Mem.* I. §. 3, « *ubi Parrhasius animi virtutes maxime amabiles in vultu reddi a pictore posse* « *negat.*" Quod ne mediocri quidem pictori, nedum Parrhasio in mentem unquam potuit venire. Sed salva res est: nam Socrates, quum statuisset picturam esse εἰκασίαν τῶν ὁρωμένων, mox quaerit: τί γάρ; τὸ πιθανώτατόν τε καὶ ἥδιστον καὶ φιλικώτατον καὶ

καὶ πιθανώτατον καὶ ἐρασμιώτατον ἀπομιμεῖσθε τῆς ψυχῆς ἦθος; ἢ οὐδὲ μιμητόν ἐστι τοῦτο; quod non, ut fecerunt Weiskius et Intt., accipiendum est de mollibus animi sensibus, qui *vultu* exprimuntur, sed de iis, qui in *animo ἀόρατοι* latent: ut certissimum est ex iis, quae Parrhasius respondet: *πῶς γὰρ ἂν μιμητὸν εἴη — ὃ μήτε συμμετρίαν, μήτε χρῶμα, μήτε, ὧν σὺ εἶπας ἄρτι, μηδὲν ἔχει, μηδὲ ὅλως ὁρατόν ἐστιν.*

Mox Socrates de animi sensibus in vultu exprimendis agit et auctor est Parrhasio, ut molliores potius et amabiles affectus referat, *δι' ὧν τὰ καλά τε κἀγαθὰ καὶ ἀγαπητὰ ἤθη φαίνεται ἢ δι' ὧν τὰ αἰσχρά τε καὶ πονηρὰ καὶ μισητά.* §. 5. In utroque tamen genere Parrhasius excelluit, ut confici potest ex variis eius operibus, quorum Plinius l. l. meminit. « *Pinxit et Δῆμον Atheniensium, argumento quoque ingenioso: volebat « namque varium, iracundum, iniustum, eundem exorabilem, clementem, miseri« cordem, excelsum, gloriosum, humilem, ferocem, fugacem et omnia pariter.*" Plin. *ibid.* Urbanus erat et facetus, hilaris, ut cantillaret semper inter opus. Theophr. ap. Athen. XII. p. 543. F. Aelian. V. H. IX. 11. « *Foecundus artifex, sed quo « nemo insolentius et arrogantius sit usus gloria artis. Namque et cognomina usur« pabat, Habrodiaetum se appellando, aliisque verbis principem artis et eandem « a se consummatam.*" Plin. *ibid.* Quae hausit omnia ex ipsius Parrhasii Epigrammatis, quae operibus subscribebat:

Ἁβροδίαιτος ἀνὴρ ἀρετήν τε σέβων τάδ' ἔγραψε,
Παῤῥάσιος κλεινῆς πατρίδος ἐξ Ἐφέσου.
Οὐδὲ πατρὸς λαθόμην Εὐήνορος, ὅςγ' ἀνέφυσε
Γνήσιον Ἑλλήνων πρῶτα φέροντα τέχνης.

Insolentiam istam indignatus quidam adscripsit Ῥαβδοδίαιτος q. d. *penicillo victum quaerens.* Athen. XII. pag. 543. D. cf. XV. p. 687. B. et ex alio

Εἰ καὶ ἄπιστα κλύουσι λέγω τάδε· φημὶ γὰρ ἤδη
Τέχνης εὑρῆσθαι τέρματα τῆςδε σαφῆ.
Χειρὸς ὑφ' ἡμετέρης· ἀνυπέρβλητος δὲ πέπηγεν
Οὖρος, ἀμώμητον δ' οὐδὲν ἐγένετο βροτοῖς.

« *Super omnia Apollinis se radice ortum et Herculem, qui est Lyndi, talem a se « pictum, qualem saepe in quiete vidisset.*" Plin. *ibid.* Hoc etiam Epigramma servavit Athenaeus XII. p. 544. A.

Οἷος δ' ἐννύχιον (leg. *ἐννύχιος*) *φαντάζετο πολλάκι φοιτῶν*
Παῤῥασίῳ δι' ὕπνου, τοῖος ὅδ' ἐστὶν ὁρᾷν

Ceterum, quantopere luxu et deliciis difflueret vid. ap. Athen. l. l. quem more suo descripsit Aelian. V. H. IX. 11. ubi vide *Perizon.*

Unus tamen omnium maxime picturae laude inclaruit ZEUXIS Heracleota, huius aequalis et aemulus. Cf. Plin. H. N. XXXV. Cap. 9. *sq.* qui pictorum Princeps iudicatur

 Mem.

Mem. I. 4 §. 3. et cuius tanta erat aetate Socratis gloria, ut pro *muliere longe omnium pulcherrima* dicat Oecon. X. §. 1. *ἐμοὶ πολὺ ἥδιον ζώσης ἀρετὴν γυναικὸς καταμανθάνειν ἢ εἰ Ζεῦξίς μοι καλὴν εἰκάσας γραφῇ γυναῖκα ἐπεδείκνυεν.* Et de Zeuxide quidem satis superque nota sunt omnia, quae diligenter collegit Franciscus Junius *de Pictura Veterum.* Lib. III. p. 229. Notasse sufficiat errorem Plinii l. l., ubi ait: « *ab hoc* « (Apollodoro Atheniensi) *artis fores apertas Zeuxis Heracleotes intravit Olympiadis* « XCV *anno* 4, — *a quibusdam falso in* LXXXIX *Olympiade positus.*" Quorum verissimam esse opinionem, ut taceam Plutarchum, qui Periclem Zeuxidis opera usum affirmat, vel ex Xenophontis ll. ll. constat.

Huius civis memoratur *Symp.* IV. §. 64. *ἔναγχος — πρός ἐμε ἐπαινῶν τὸν Ἡρακλεώτην ξένον — συνέστησάς μοι αὐτόν*: quem probabili coniectura *Bacchius* suspicatur esse ZEUXIPPUM illum, de quo Plato in *Protag.* p. 318. B *τούτου τοῦ νεανίσκου, τοῦ νῦν νεωστὶ ἐπιδημοῦντος Ζευξίππου τοῦ Ἡρακλεώτου*, quem pictorem esse mox significat, sed quem ceterum plane ignoramus.

In arte statuaria primae ab Aristodemo *Mem.* I. 4. §. 3. deferuntur POLYCLETO; in quo confirmari videtur, quod supra in Melanippide coniecimus, Aristodemum eos demum admirari, quos praesens praesentes cognoverit aut viderit. Neque enim aut Pindaro Melanippidem, aut Phidiae Polycletum anteposuisset. Ceterum hinc colligi facile potest, quanta Athenis Polycleti fuerit fama; neque immerito. cf. Plin. H. N. XXXIV. Cap. 8.

Eodem tempore Athenis floruit statuarius CLITON, in cuius operibus insigne erat *τὸ ζωτικοὺς φαίνεσθαι* *Mem.* III. 10 §. 6 huius tamen praeter Xenophontem neminem veterum mentionem fecisse comperimus. Neque magis PISTIAM *τὸν θωρακοποιὸν* cognoscimus, qui *Mem.* III. 10. §. 9 *sqq.* cum Socrate disserit. Memoriae vitio *Πίστωνα* eum vocat Athen. V, pag. 220.

Nobilissimus histrio Tragicus occurrit *Symp.* III. §. 11. CALLIPPIDES, qui lacrymas spectatoribus extorquere solebat: *Καλλιππίδης ὁ ὑποκριτής, ὃς ὑπερσεμνύνεται, ὅτι δύναται πολλοὺς κλαίοντας καθίζειν.* In celeberrimis Atheniensium histrionibus nominatur a Plutarch. *de gloria Athen.* Cap. VI. *τραγικοὶ δ' αὐτοῖς ὑποκριταὶ Νικόστρατοι καὶ Καλλιππίδαι καὶ Μυνίσκοι καὶ Θεόδωροι καὶ Πῶλοι συνίτωσαν.* Maxima eius fama per totam Graeciam erat: *ὄνομα καὶ δόξαν ἔχων ἐν τοῖς Ἕλλησι καὶ σπουδαζόμενος ὑπὸ πάντων* dicitur Plutarcho in *Agesil.* Cap. XXI. Solebat, ut ceteri histriones, haud secus ac hodie, varias civitates quaestus causa adire: hinc Opuntem venit; cf. *Vita Sophoclis;* hinc in Asiam minorem. Polyaen. *Strateg.* VI. 10: unde redeuntem in patriam Alcibiadem comitatus est. Qui quum navi velis purpureis ceteroque magnifico apparatu ornata Piraeeum subiret, *Χρυσόγονος μὲν ηὔλει τὸ τριηρικὸν, ἐνδεδυκὼς τὴν Πυθικὴν στολὴν, Καλλιππίδης δὲ ὁ τραγῳδὸς ἐκέλευσε τὴν ἐπὶ τῆς σκηνῆς στολὴν ἠμφιεσμένος*, ut refert Duris Samius ap. Athen. XII. pag. 535. Quae tamen Plutarch. in *Alcib.* Cap. XXXII. me-

merito ad Duridis nugas referre videtur, quum ex Theopompi, Ephori et Xenophontis silentio, tum quod isti luxuriae nullus esset locus, οὔτ' εἰκὸς ἦν οὕτως ἐντρυφῆσαι τοῖς Ἀθηναίοις μετὰ φυγὴν καὶ συμφορὰς τοσαύτας κατερχόμενον. Callippides ex tanto omnium studio et fama, id quod in histrionibus quaevis aetas vidit, superbiam et insolentiam contraxit. Lepidum est, quod ipsi, quum casu quodam Agesilao, nimium fortasse ista contemnenti, obviam esset factus, usu venit. Audiamus Plutarchum in *Agesil.* l. l. πρῶτον μὲν ἐπήντησεν αὐτῷ (*Callippides Agesilao*) καὶ προσεῖπεν, εἶτα σοβαρῶς εἰς τοὺς περιπατοῦντας ἐμβαλὼν ἑαυτὸν ἐπεδείκνυτο, νομίζων ἐκεῖνον ἄρξειν τινὸς φιλοφροσύνης· τέλος δὲ εἶπεν· οὐκ ἐπιγινώσκεις με, βασιλεῦ; κἀκεῖνος ἀποβλέψας πρὸς αὐτὸν εἶπεν· ἀλλ' οὐ τύγε ἐσσὶ Καλλιππίδας ὁ δεικηλικτάς; οὕτω δὲ οἱ Λακεδαιμόνιοι τοὺς μίμους καλοῦσι. Quod dictum in proverbium abiisse, auctor est Michaël Apostolius XV. 39. Plutarchum, ut assolet, describens, unde ipsius locus emendari potest. Neque adeo dedit veniam Callippidi Comicorum censura, ex quibus Strattis in fabula Καλλιππίδῃ eum exagitavit Athen. VII. p. 314. C. unde facile credam, eundem esse, quem nominat Aristophanes apud Polluc. X. 29.

ὥσπερεὶ Καλλιππίδης

Ἐπὶ τοῦ κορήματος καθίζομαι χαμαί. Cf. *Schneid.* ad *Symp.* l. l.

Quamvis autem in actione ipsius nonnulla carpebantur, ut κίνησις τῶν φαύλων, Aristot. *de Poëtic.* 27 §. 7. et a Mynisco, Aeschyli histrione, πίθηκος dicebatur ὡς λίαν ὑπερβάλλων. *ibid.* §. 2, quod obtrectationi videtur tribuendum, non erat cur Leo Allatius ad locum in *Epist. Socrat.* XIV. (*Melitus*) ἰδεδίει τε καὶ ἀπεστρέφετο καὶ ἐπελανθάνετο καὶ ἄλλοι αὐτῷ ὑπέβαλλον, καθότι καὶ Καλλιππίδῃ τῷ ὑποκριτῇ statueret « *Callippidem partes suas recitantem, saepissime dicendorum oblitum haerere et contorquere se.*" Quae in Callippidem minime conveniunt: sed illius mentio pertinet ad verba ἄλλοι αὐτῷ ὑπέβαλλον, et innuitur mos iste, quo plane ut in nostris ludis alii histrionibus versus et sententias suggerebant, ne turpiter dicendorum immemores haererent.

Male nonnulli viri docti, Erasmus in *Adagiis*, Herman. ad *Arist.* l. l. cf. *Schneid.* ad *Symp.* l. l. Callippidem nostrum confuderunt cum tardo cursore, de quo. Cic. ad *Attic.* XIII. 12. et Sueton. in *Tiber.* Cap. 38. fecere mentionem.

Huius laudis aemulus fuit NICOSTRATUS et ipse histrio Tragicus celeberrimus, unde a Plutarcho *de Glor. Athen.* l. l. inter primos suae artis ponitur. Hinc etiam proverbium:

Ἐγὼ ποιήσω πάντα κατὰ Νικόστρατον

apud Suidam. Hinc etiam *Clytaemnestra* cognominatus est, ut ex Diog. Laërtii loco VI. 18. cognovimus, quem tamen Intt. male habuerunt: Νικοστράτου γοῦν ποτε, τοῦ ἐπικαλουμένου Κλυταιμνήστρα, ἀναγινώσκοντές τι τοῦ ποιητοῦ αὐτῷ τε καὶ Κράτητι, τὸν μὲν συνδιατίθεσθαι, τὸν δὲ ἵτα καὶ μὴ ἀκοῦσαι: quod verti solet: « *Nicostrato enim, qui*

„ *cognominabatur Clytaemnestra, Poëta quidquam sibi Crateti que recitante*" etc; et accipitur ab Intt. de Nicostrato Comico, cuius fabulas ex Athenaeo et aliunde novimus. Sed neque τοῦ ποιητοῦ ad Nicostratum referri potest, neque in Comicum Poëtam Clytaemnestrae cognomen convenit. Quanto facilius est locum accipere de Nicostrato nostro ῥῆσιν Homeri, τοῦ Ποιητοῦ, Polemoni et Crateti recitante. Huius etiam cum Callippide mentio est, in Asia minore versantis ap. Polyaen. VI. 10. De eo ita Xenophon *Symp.* VIII. §. 3. *ἢ οὖν βούλεσθε, ὥσπερ Νικόστρατος ὁ ὑποκριτὴς τετράμετρα πρὸς τὸν αὐλὸν κατέλεγεν, οὕτω καὶ ὑπὸ τὸν αὐλὸν ὑμῖν διαλέγωμαι* (1). Ubi Interpretes ex voce *κατέλεγε* falso conficiunt, Nicostratum iam tum fuisse mortuum; nam nihil aliud est, nisi *recitare solebat*, nempe dum Athenis esset. Olympiadis enim XCVI. anno 4. adhuc erat in vivis, quod constat, si Polyaeni l. l. conferas cum Xenophontis *Hellen.* IV. 8. §. 18. ibique *Schneid.*

Quod Suidas eum Comoediarum facit actorem, voc. Νικόστρατος, *οὗτος κωμῳδίας ὑποκριτὴς ἦν δοκῶν κάλλιστα ὑποκρίνεσθαι*, incertum ipsiusne an librariorum incuriae sit tribuendum. Melius in *Proverb. Graec. Vatic. Append.* I. 65. *ὁ* Νικόστρατος *τραγικὸς ὑποκριτὴς δοκῶν καλλίστως εἰρηκέναι.*

Autolycus, Lyconis F. nobili loco natus *Symp.* VIII. §. 7. egregius iuvenis, formae praestantia insignis, quam habebat cum pudore et modestia coniunctam *Symp.* I. §. 8 *sq.* Erat Calliae amasius, sed honestus, *Symp.* I. §. 10. VIII. §. 8 *sqq.* et Panathenaeis Pancratio victor, ab eo lauto convivio excipitur, ubi tamen ipsius, utpote adolescentuli, tot tantisque viris praesentibus, exiguae fuere partes: nam pauca loquitur et ante finem cum patre discedit *Symp.* IX. §. 1. Haecce vero Autolyci victoria maxime propter Calliam amatorem (cf. *Symp.* VIII. §. 7.) celebratissima fuit. Hanc Comici in fabulis riserunt, Aristophanes imprimis et Eupolis, quorum uterque Αὐτόλυκον docuit (2); non quo ipsum adolescentem, credo, odissent, sed quo acerbius per

(1) Non dubito, quin in eo loco pro *ὑπὸ τὸν αὐλὸν* restituendum sit *ὑπὸ τοῦ αὐλοῦ*. nam hoc significat *ad tibiam, praeëunte tibia: ὑπὸ* in ea significatione interdum dativo, sed saepius genitivo iungitur: sic *ὑπὸ σάλπιγγος, ὑπὸ κιθάρας.* Exquisite dixit Herodotus VII. 21. *ὤρυσσον ὑπὸ μαστίγων* et Cap. 56. *ἐθηεῖτο τὸν στρατὸν ὑπὸ μαστίγων διαβαίνοντα.* Eadem ratione *τὰ τείχη κατέσκαπτον ὑπ' αὐλητρίδων* dixit Xenoph. *Hell.* II. 2 §. 23.

(2) De *Autolyco* Eupolidis vide Athen. V. p. 216 ubi agens de convivio Xenophonteo ait *ἔστι δὲ οὗτος ὁ καιρὸς, καθ' ὃν 'Αριστίων ἄρχων ἦν· ἐπὶ τούτου γὰρ* Εὔπολις *τὸν Αὐτόλυκον διδάξας διὰ Δημοστράτου χλευάζει τὴν νίκην τοῦ Αὐτολύκου*, ubi cavendus error Interpretis *διὰ Δημοστράτου* vertentis *impulsu hortatuque Demostrati*, quum significet Eupolidem in docenda hac fabula Demostrati histrionis opera fuisse usum. Cff. argumenta fabularum Aristophanis passim v. c. ad *Equites*, *ἐδιδάχθη τὸ δρᾶμα — δι' αὐτοῦ τοῦ 'Αριστοφάνους.* Eupolis Au-

per amasii latus libidinosus et ineptus Callias peteretur. Statuarii quoque hancce victoriam celebrarunt; « *Leocrates fecit puerum Autolycum, pancratio victorem, propter « quem Xenophon Symposion scripsit.*" ait Plin. H. N. XXXIV. 8. quam statuam in Prytaneo positam (cf. Paus. I. 18. pag. 41.) se ipse vidisse testatur Pausanias Lib. IX. 32 pag. 775.

Erat in Autolyco, quum ad virilem aetatem pervenisset, strenuus et generosus animus. Spartanorum in debellata patria libidinem et insolentiam non ferebat. Ipsorum Harmostam, quem Plutarchus vocat Callibium, Pausanias Eteonicum (3), quum iudicio vicisset, atque is contumeliose baculum intentasset, indignatus supplantatum adversarium turpiter humi prostravit. Quod indigne ferens iste quum apud Lysandrum conquestus esset, increpitus abiit, quod liberis hominibus praeesse nesciret, ut referunt Plutarch. in *Lysand.* Cap. XV. et Pausan. Libr. IX. l. l. At vel sic tamen Autolyco egregium facinus morte constitit; mox enim a triginta Tyrannis omnia Spartanis et Callibio Harmostae gratificantibus (cf. Xenoph. *Hellen.* II. 3. §. 14.) occisus est, ut auctores sunt Plutarch. l. l. Diod. Sicul. XIV. 5. (4)

Autolyci pater LYCO et ipse inter convivas fuit. Hunc si simplicem et bonum dixeris, omnia dixeris. cf. *Symp*, II. §. 4. et III. §. 13. Nobili genere ortus dicitur *Symp.* VIII. §. 7. sed nulla eius memoria exstat (5); filii, a quo ante omnia diligebatur, pietate, sibi unice beatus videbatur. *Symp.* III. §. 3.

PARS

Autolycum bis docuit, unde Αὐτόλυκος α' et β' passim laudantur, imprimis a Grammaticis, Suida, Polluce, aliis: et Αὐτόλυκοι, ut citantur in *Scholiis Victorianis* ad Hom. *Iliad.* XIII. vs. 352, ubi, suadente metro, pro

ἤδη γὰρ 'Αρίσταρχον στρατηγοῦντα ἄχθομαι

omissis literis male repetitis, legendum est

ἤδη γ' 'Αρίσταρχον στρατηγοῦντ' ἄχθομαι.

Ex Aristophanis *Autolyco* fragmentum servavit, sed corruptissimum, Erotianus voc. Ἄμβην. cff. quos laudat Fabric. B. G. II. p. 368. Harles.

(3) In his Plutarchi auctoritas potior videtur. Nam Eteonicus eo tempore Athenis non adfuit: sed adfuit Callibius Harmosta, qui praeërat praesidio Lacedaemoniorum, petentibus XXX Tyrannis, Athenas misso: qui, ut Xenophon ait *Hell.* II. 3 § 14. Καλλίβιον ἐθεράπευον πάσῃ θεραπείᾳ, ὡς πάντα ἐπαινοίη, ἃ πράττοιεν.

(4) Diodori locus: ἀνεῖλον δὲ καὶ (οἱ λ') Αὐτόλυκον, ἄνδρα παῤῥησιαστήν, videtur corruptus. Nam quamvis παῤῥησία non semper de *dicendi* libertate tantum usurpatur, sed etiam interdum de *factis* exquisite dicitur, tamen in hunc locum ea notio non videtur convenire, unde lubens παγκρατιαστὴν reponam: ut apud Pausan. in *Atticis* l. l. Αὐτόλυκος ὁ παγκρατιαστής, in *Boeot.* l. l. Αὐτολύκῳ τῷ παγκρατιάσαντι — εἰς ἀμφισβήτησιν — 'Ετεόνικος ἦλθεν et *alibi.*

(5) [Comicorum effrenata licentia in Autolyco non desaevierat, sed neque ipsius parentibus pe-

PARS QUINTA.

DE IIS, QUI PRIVATAM VITAM AGENTES COMMEMORANTUR.

In his eam rationem sequemur, ut primum eos omnes enumeremus, quos Socrates amavit, aut amicos et familiares habuit, deinde eos, quos cognovit tantum et quibuscum opportunitate data disputans inducitur, ceteros denique omnes, quorum quacunque de causa iniicitur mentio. In illorum nominibus illustrandis eadem ratione, qua in superioribus omnibus, versabimur. Si qua satis superque nota sunt, omittemus, si qua minus sunt trita, paulo copiosius exponere conabimur.

Prima esto Socratis uxor, XANTHIPPE, quam « *omnium, quae aut fuerint unquam*

pepercit et Lyconem cum uxore Rhodia conviciis omnis generis laceravit Scholiast. Plat. pag. 332. Ed. Bekk. *Λύκων μέντοι πατὴρ ἦν Αὐτολύκου. Ἴων γένος, δῆμον Θορίκιος. πένης, ὡς Κρατῖνος Πυτίνῃ, Ἀριστοφάνης Σφηξίν. Εὔπολις δ' ἐν Φίλοις καὶ ἐπὶ τῇ γυναικὶ Ῥοδίᾳ κωμῳδεῖ αὐτὸν, ἐν δὲ τῷ πρώτῳ Αὐτολύκῳ εἰς* (forte *ὡς*) *ξένον, Μεταγένης δ' Ὁμήρῳ εἰς* (*ὡς*) *προδότην· καὶ Λύκων ἐνταῦθά που προδοὺς Ναύπακτον ἀργύριον λαβὼν ἄγαλμ' ἀγορᾶς ξενικὸν ἐμπορεύεται.* ubi Metagenis versiculi forte ita sunt constituendi:

καὶ Λύκων
Ἐνταῦθα προδοὺς Ναύπακτον ἀργύριον λαβὼν
Ἄγαλμ' ἐν ἀγορᾷ ξενικὸν ἐμπορεύεται.

Vide etiam Aristoph. in *Vesp.* vs. 1302, et Scholiorum farraginem ad *Vesp.* vs. 1169. Cf. Raspe in Comment. *de Eupolidis* Δήμοις *et* Πόλεσιν pag. 113. De ipsius uxore famosa et impudica Aristoph. *Lysistr.* vs. 269 sq.

ἐμπρήσωμεν αὐτόχειρες
Πάσας ἐπὶ ψήφου μιᾶς, πρώτην δὲ τὴν Λύκωνος.

Ubi Scholiasta: *τὴν Ῥοδίαν λέγει οὕτω καλουμένην, τὴν Αὐτολύκου μὲν μητέρα, γυναῖκα δὲ Λύκωνος, ἐπ' αἰσχροῖς κωμῳδουμένην. Εὔπολις Πόλεσιν*

Ὥσπερ ἐπὶ τὴν Λύκωνος ἔῤῥει πᾶς ἀνήρ.

Vulgo contra metrum *συνέῤῥει.* Iam quid hisce testibus tribuendum sit, aliorum esto iudicium: animadvertisse sufficiat, temere in his passim Autolyci patrem, Lyconem confundi cum Lycone oratore, qui Socratem accusavit, et fortasse etiam cum aliis.]

« *quam aut futurae sint contentiosissimam litigiosissimamque excetram.*" (Bentlei. *Dissert. de Epist. Socrat.* §. XIII. pag. 76. Lennep.) vulgo accepimus. Et sane Antisthenes Socrati *Symp.* II. §. 10. χρῇ γυναικὶ τῶν οὐσῶν, οἶμαι δὲ καὶ τῶν γεγενημένων καὶ τῶν ἐσομένων, χαλεπωτάτῃ. Lamprocles, eius filius *Mem.* II. 2. §. 7. οὐδεὶς ἂν δύναιτο αὐτῆς ἀνασχέσθαι τὴν χαλεπότητα. Recentiores auctores multi multa in eius dedecus congesserunt, quae collegit *Menagius* ad Diog. Laërt. II. 36 *sqq.* Plato tamen, neque ullus Socraticorum de eius procacitate aliquid scripto mandarunt. cf. Bentley l. l. Hinc fuere, qui calumniam esse suspicati sint, quemadmodum fecit Athenaeus V. pag. 219. qui tamen, quod Xenophontis est, tribuit Platoni. Nec defuerunt etiam, qui eam prorsus excusare voluerint v. c. *Heumannus* apud Bruck. *Histor. Philos.* I. p. 528. Sed quicunque Socratis cum filio Lamprocle colloquium de matre, *Mem.* II. 2. attento animo perlegerit, veri esse simillimum compererit, quod Luzac. v. cl. statuit in *Lectt. Att.* pag. 49. « *molestam fuisse mulierem, vehementis intemperantisque* « *linguae, talem tamen, quae neque insita naturae careret bonitate, nec matris fa-* « *milias officiis deesset,*" ibi enim Socrates §. 9. ita: ἃ λέγει σοι ἡ μήτηρ οὐ μόνον οὐδὲν κακὸν νοοῦσα λέγει, ἀλλὰ καὶ βουλομένη σοι ἀγαθὰ εἶναι, ὅσα οὐδενὶ ἄλλῳ. et mox: σὺ ταύτην εὔνουν τε σοι οὖσαν καὶ ἐπιμελουμένην ὡς μάλιστα δύναται κάμνοντος, ὅπως ὑγιανεῖς τε καὶ ὅπως τῶν ἐπιτηδείων μηδενὸς ἐνδεὴς ἔσῃ καὶ πρὸς τούτοις πολλὰ τοῖς θεοῖς εὐχομένην ἀγαθὰ ὑπὲρ σου καὶ εὐχὰς ἀποδιδοῦσαν χαλεπὴν εἶναι φῄς. Atque ita facile inter se conciliantur, quae passim ipsi vel decora vel opprobria leguntur; et quod in Antisthenis et Lamproclis iudicio nimium est facile ex illius ingenio et huius animo irato repetitur.

Ceterum, quae scribit auctor *Epist. Socrat.* XX. Xanthippen post iniquam mariti necem, moerore confectam, in summo luctu et desiderio degisse, aliorum dona repudiantem, ab Aeschine sustentatam, ea omnia, propter fidem illius scriptoris, quisquis fuerit, plus quam dubiam, nec affirmare nec refellere in animo est. vid. Bentl. in *Dissert.* l.

Socrates tres habuit filios: Plato in *Phaed.* p. 116. δύο γὰρ αὐτῷ υἱεῖς σμικροὶ ἦσαν, εἷς δὲ μέγας. Cf. *Apolog. Socrat.* p. 35. quorum illi Sophroniscus et Menedemus vel ut alii Menexenus. Cf. Suidas, hic LAMPROCLES vocabatur. Diog. Laërt. II. 26. Cf. Luzac. in opere l. pag. 10 *sqq.* Et Lamprocles quidem ex Xanthippe, ceteri ex Myrtone, nepti Aristidis, erant suscepti (1). Cum iis ludere solitum fuisse Socratem refert Seneca *de Tranquill. Vitae* Cap. ult. Cum Lamprocle equitans in arundine longa ab Alcibiade deprehensus est. Valer. Maxim. VIII. 8. cf. Aelian. V. H. XII. 15. Hunc ma-

(1) Hasce duas simul uxores habuisse Socratem multi Veteres tradiderunt. Quam fabulam acutissime excusserunt et reiecerunt Rich. Bentleius in *Dissert. de Epistol. Socrat.* Cap. XIII. pag. 73 *sqq.* Lennep. et copiosissime Luzac V. Cl. in *Lectt. Atticis.*

matri succensentem placat et admonet *Mem.* II. 2. et, quamvis ex eo Dialogo confici non potest eum fuisse proterviorem, hinc tamen orta fuisse videtur nonnullorum Veterum opinio, Socratis filios ineptos et improbos fuisse. Cato Maior dictitabat, se *Σωκράτους οὐδὲν ἄλλο θαυμάζειν τοῦ παλαιοῦ, πλὴν ὅτι γυναικὶ χαλεπῇ καὶ παισὶν ἀποπλήκτοις χρώμενος ἐπιεικῶς καὶ πρᾴως διετέλεσεν.* Plutarch. in *Cat. Mai.* Cap. XX. Seneca *Epist.* 104. *indociles* vocat *et matri quam patri similiores.* Nam ceteroquin nihil de iis constat (2), et quae auctor *Epist. Socrat.* XXVII. de Lamprocle refert, ut cetera finxisse videtur.

Inter Socratis amicos neque candidior fuit, neque Socrati devinctior alter, quam CRITO cf. *Mem.* I. 2. §. 48. Ditissimus erat Crito et bonus et fugitans litium, unde eum prae ceteris respicere facile credam Platonem *de Rep.* VIII. p. 549 C. ubi imaginem describit *τοῦ φεύγοντος τάς τε τιμὰς καὶ ἀρχὰς καὶ δίκας καὶ τὴν τοιαύτην πᾶσαν φιλοπραγμοσύνην καὶ ἐθέλοντος ἐλαττοῦσθαι, ὥστε πράγματα μὴ ἔχειν.* Hinc queritur *Mem.* II. 9. §. 1. *ὡς χαλεπὸν ὁ βίος Ἀθήνησιν εἴη ἀνδρὶ βουλομένῳ τὰ ἑαυτοῦ πράττειν.* hinc omnium maxime a Sycophantis lacessebatur, quorum calumnias pecunia redimere, quam iudicio arguere malebat. *ibid.* donec, Socrate auctore, Archedemi opera usus, istis liberatus est. *ibid.*

De Critonis mitissima indole et vera in Socratem amicitia, omnia habet Plato, quae collegit et disposuit Groen pag. 200 *sqq.*

Critonis filius erat CRITOBULUS, patri similis, simplex et bonus: corporis tamen flore, quam acumine ingenii commendatior. Divitiis et forma supra modum gaudebat, Cf. *Oecon.* II. §. 1. *Symp.* III. §. 7. IV. §. 10 *sqq.* non quo propter ista superbiret, sed plane puer exsultaret et lasciviret. Hinc interdum pueriliter petulans pauperem et deformem Socratem cavillatur. cf. *Oecon.* II. §. 3. *Symp.* IV. §. 19. Neque tamen erat, cur Athenaeus indignabundus scriberet IV. p. 188. D. ubi agit de Xenophonteo Symposio: *καὶ μὴν ἀσύμφωνα καὶ τὰ μετὰ ταῦτα τῇ αὐστηρότητι. ὁ γὰρ δὴ Κριτόβουλος μειράκιον ἀστεῖον γέροντα καὶ διδάσκαλον αὐτοῦ τὸν Σωκράτη σκώπτει πολὺ τῶν Σειληνῶν αἰσχίω λέγων εἶναι. ὁ δὲ αὐτῷ διαμορφοσκοπεῖται καὶ κριτὰς ἑλόμενος τόν τε παῖδα καὶ τὴν ὀρχηστρίδα προτίθησι νικητήρια φιλήματα τῶν κριτῶν*, acerbe subiungens: *τίς οὖν τῶν νέων ἐντυχὼν τούτοις οὐκ ἐπιτριβήσεται μᾶλλον ἤπερ εἰς ἀρετὴν προαχθείη.* Non enim odiosius ullum est calumniatorum genus, quam qui facetias et iocos maligne interpretentur; quod saepius facere Athenaeum etiam mox videbimus. Non erat igitur Critobulus ad philosophiam ap-

(2) [Stobaeus *Tit.* V. 79 sq. Ed. Gaisf. habet particulam *Ξενοφῶντος ἐκ τῆς πρὸς Λαμπρόκλειαν* (leg. *Λαμπροκλέα*) *ἐπιστολῆς*, qua ipsum exemplo patris admonet, ut temperantiam colat, neque nimias concupiscat divitias. Quae tamen Epistola cum ceteris videtur spuria.]

ipsius (3), neque adeo Crito efficere potuit, ut in interiorem Socratis familiaritatem et disciplinam admitteretur. cf. Plato in *Euthydem.* pag. 306. Uxorem duxerat *Symp.* II. §. 3. quam tamen negligebat, unde Socrates ad ipsum *Oecon.* III. § 12 *ἔστι δὲ ὅτῳ ἐλάσσονα διαλέγῃ ἢ τῇ γυναικί;* cui ille *εἰ δὲ μή, οὐ πολλοῖς γε:* et in amorem pronior, rem familiarem satis amplam se habere existimans, non curabat. Socrates *Oecon.* II. §. 7. *ὁρῶ σε οἰόμενον πλουτεῖν καὶ ἀμελῶς μὲν ἔχοντα πρὸς τὸ μηχανᾶσθαι χρήματα, παιδικοῖς δὲ πράγμασι προσέχοντα τὸν νοῦν, ὥσπερ ἐξόν σοι.* Non sine causa igitur Aeschines Socraticus eum *ἐν Τηλαυγῇ* notavit *ἐπ' ἀμαθίᾳ καὶ ῥυπαρότητι βίου.* Athen. V. pag. 220. Cliniam, Alcibiadis fratrem patruelem, insano amore deperibat. Exclamat *Symp.* IV. §. 12. *νῦν γὰρ ἐγὼ Κλεινίαν ἥδιον μὲν θεῶμαι ἢ τἄλλα πάντα τὰ ἐν ἀνθρώποις καλά· τυφλὸς δὲ τῶν ἄλλων ἁπάντων μᾶλλον δεξαίμην εἶναι ἢ Κλεινίου ἑνὸς ὄντος. ἄχθομαι δὲ καὶ νυκτὶ καὶ ὕπνῳ, ὅτι ἐκεῖνον οὐχ ὁρῶ, ἡμέρᾳ δὲ καὶ ἡλίῳ τὴν μεγίστην χάριν οἶδα, ὅτι μοι Κλεινίαν ἀναφαίνουσιν.* cf. §. 21 *sqq.* Crito igitur de filio sollicitus Socrati ipsum commisit curandum *ibid.* §. 24. a quo, quum Cliniam exosculatus esset, monetur et reprehenditur *Mem.* I. 3. cf. *Symp.* IV. §. 25. Non sine causa eum potissimum de amicis deligendis et conciliandis admonet Socrates *Mem.* II. 6. quippe qui facillime a malis amicis corrumperetur: et de re familiari tuenda et augenda cum eo prae ceteris omnibus in *Oeconomico* disserit, quod sibi bona superesse putaret, neque in aliis quaerendis operam esse ponendam: unde Socrates II. §. 7. *οἰκτείρω σε, μήτι ἀνήκεστον κακὸν πάθῃς καὶ εἰς πολλὴν ἀπορίαν καταστῇς.* Ceterum verus ipsius et constans in Socratem amor, *Mem.* I. 2. §. 48. cuius fuit cum patre fideiussor, Plat. *Apol.* p. 38. et quem nec morientem deserere sustinuit. *Phaed.* p. 59.

Critobulus *Mem.* I. 3. §. 8. dicitur exosculatus esse *τὸν Ἀλκιβιάδου υἱὸν καλὸν ὄντα* et §. 10. *οὗτος ἐτόλμησε τὸν Ἀλκιβιάδου υἱὸν φιλῆσαι, ὄντα εὐπροσωπότατον καὶ ὡραιότατον.* Ex *Symp.* IV. §. 25. ubi idem narratur, constat fuisse eum CLINIAM, quem insano amore Critobulus deperibat. Sed Clinias ille a Critobulo deamatus non Alcibiadis erat, sed Axiochi filius, Alcibiadis frater patruelis, ut auctor est Plato in *Euthyd.* pag. 275 A. neque fuit unquam Alcibiadis filius huius nominis (4). Erat Critobulo natu minor, Plat. in

(3) Alienissima igitur sunt a Critobuli et Socratis persona, quae scribit auctor *Epistolae* inter Socraticas IV. ubi Socrates: *Κριτοβούλῳ μὲν ἐντυχὼν παρεκάλουν πρὸς φιλοσοφίαν αὐτόν, ὁ δέ μοι δοκεῖ διανενοεῖσθαι, μᾶλλον δὲ ὡρμῆσθαι πρὸς τὰ πολιτικά.* Qui locus corruptus est, et varie a viris doctis tentatus: *διανενοεῖσθαι*, quod a *διανόημι* repetit Orellius [credo, ut *τεθεῖσθαι* a *τίθημι*] Graecum non est. Neque *δίχα νοεῖσθαι*, ut idem coniecit, aut *δὴ ἀνεῖσθαι*, quod Bremio venit in mentem probari posse videtur. Leni medicina, vocabulo *δὲ* eiecto, legi possit: *ὁ δέ μοι δοκεῖ διανενοῆσθαι μᾶλλον ὁρμᾶσθαι πρὸς τὰ πολιτικά*, unde optima et facillima oritur sententia.

(4) Schneid. in *Addendis ad Mem.* p. 296. Alcibiadis ullum fuisse filium negat. Sed ne di-

in *Euthyd.* p. 271 A. ubi Socrati dicit Crito: *ἐν μέσῳ δ' ὑμῶν τὸ 'Αξιόχου μειράκιον ἦν καὶ μάλα πολὺ, ὦ Σώκρατες, ἐπιδεδωκέναι μοι ἔδοξε καὶ τοῦ ἡμετέρου οὐ πολύ τι τὴν ἡλικίαν διαφέρειν Κριτοβούλου· ἀλλ' ἐκεῖνος μὲν σκληφρὸς, οὗτος δὲ προφερὴς καὶ καλὸς καὶ ἀγαθὸς τὴν ὄψιν.* ubi recte Scholiasta *σκληφρὸς ὁ τῷ μὲν χρόνῳ πρεσβύτερος, τῇ δὲ ὄψει νεώτερος δοκῶν. προφερὴς δὲ ὁ τῷ μὲν χρόνῳ νεώτερος, τῇ δὲ ὄψει πρεσβύτερος* Cui loco adversari videtur Xenophon *Symp.* IV. §. 23. ubi Socrates *οὐχ ὁρᾷς, ὅτι τούτῳ μὲν* (*Critobulo*) *παρὰ τὰ ὦτα ἄρτι ἴουλος καθέρπει, Κλεινίᾳ δὲ πρὸς τὸ ὄπισθεν ἤδη ἀναβαίνει.* Quem locum vitiosum esse iam *Weiskius* monuit et *Schneiderus* ita cum Platone voluit conciliare, ut legeretur: *τούτῳ μὲν ἤδη πρὸς τὸ ὄπισθεν παρὰ τὰ ὦτα ἴουλος καθέρπει, Κλεινίᾳ δὲ ἄρτι περὶ τὴν ὑπήνην ἀναβαίνει.* Sed dubito, an tanta in Veterum locis emendandis licentia concessa sit. Aliquando coniiciebam locum ita constitui posse: *τούτῳ μὲν* (*Cliniae*) *παρὰ τὰ ὦτα ἄρτι ἴουλος καθέρπει, ἐκείνῳ δὲ* (*Critobulo*) *πρὸς τὸ ὄπισθεν ἤδη ἀναβαίνει.* Prima lanugo enim, quae circa aures efflorescebat, magis ad Cliniam pertinet, quam ad Critobulum, qui iam adultus, (*ἡλικίαν ἤδη ἔχων Euthyd.* p. 306 D.) uxorem duxerat, ut modo vidimus Sed quidquid huius rei est, constat male Cliniam dici a Xenophonte filium Alcibiadis, quem errorem in re notissima in librarios magis, quam in Xenophontem esse reiiciendum, nemo dubitavit. Ergo *Schneider.* audacter pro *υἱὸν* reposuit *ἀδελφόν*: quod merito improbans Groen. pag. 221. coniicit aut Xenophontem, quippe in notissima re simpliciter scripsisse *τὸν τοῦ 'Αλκιβιάδου* nempe Alcibiadis Maioris *nepotem*, aut *υἱὸν* in *υἱωνὸν*.

es-

dicamus de Leotychida, quem mater Timaea, Agidis Spartanorum regis uxor, Alcibiadem vocare amabat, filium habuit ex muliere Melia, quam bello captam sibi emerat, ut auctor est Andocides *de Myster* p. 123. Reisk. Et notissimus est eius filius, qui mollis et luxu diffluens, a Comicis, ut patris simia, risus est. Plutarch. in *Alcibiad.* Cap. I. *"Αρχιππος τὸν υἱὸν τοῦ 'Αλκιβιάδου σκώπτων· βαδίζει, φησὶ, διακεχλιδὼς, θοἰμάτιον ἕλκων, ὅπως ἐμφερὴς τῷ πατρὶ μάλιστα δόξειεν εἶναι*

Κλασαυχενεύεταί τε καὶ τραυλίζεται.

quae C Haitingerus in *Actis Philol. Monac.* Tom. III. Fasc. I. p. 134. editis a Thierschio ann. 1820. probabiliter ita metro Iambico restituit

διακεχλιδὼς
Οὗτος βαδίζει, θοἰμάτιον ἕλκων, ὅπως
Μάλιστα δόξει' ἐμφερὴς εἶναι πατρὶ
Κλασαυχενεύεταί τε καὶ τραυλίζεται.

Huic nomen erat *Alcibiades*, ut apparet ex Lysia, qui duabus orationibus, quarum altera tamen videtur spuria, hominis sordes et impuritatem vitae acriter perstringit, et ipsum iam ineunte adolescentia moribus dissolutissimis, damnosum et libidinosum fuisse arguit cf. imprimis pag 536. Reisk. et *alibi*. Idem est, quem defendit oratio Isocratis *περὶ ζεύγους*. cf. Schneid. qui errorem quodammodo retractavit in repetita editione ad *Mem.* I. 3. §. 8.

esse mutandum: quod vereor, ut vir acutissimus sibi ipse probaverit. Multo, opinor, simplicius in re simplicissima verum patris nomen restituere τὸν τοῦ Ἀξιόχου υἱόν, ut dicitur apud Platon. in *Euthyd.* p. 271 A. 275 A. et *alibi*, et ab Aeschine Socratico in Dial. *de Morte* Cap. 1. Quod si cui videatur audacius, reputet, nomina quoque propria olim per scribendi notas et compendia exarari fuisse solita, quae uberrima fuit errorum scaturigo, uti ostendit Taylor. in *Lectt. Lysiacis:* et notum, quid librariorum incuria et inscitia in permutandis nominibus notioribus et minus tritis possit (5).

Bene distinguendus est Clinias noster a cognomine fratre Alcibiadis, natu minore, quem ex Plat. *Protag.* p. 320 A. et *Alcibiad.* I. p. 118 E. ineptum et stupidum cognoscimus. Nam praeter commendationem corporis *Mem.* I. 3. §. 10. et Plat. in *Euthyd.* p. 271 A. moribus erat et ingenio conspicuus. Damonis in Musicis institutione usus Aesch. Socrat. l. l. Charmidem, Glauconis F., praestantem, ut vidimus, adolescentem, habuit amicum, qui ipsi erat ἐξ ἑταιρείας ἐραστὴς ἅμα καὶ ἐρώμενος. Aeschin. *ibid.* Socrati quoque familiaris et acceptus. cf. Groen. p. 220 *sq.*

In iis, quorum insignis erga Socratem amicitia fuit, censendus est CHAEREPHON Sphettius. *Mem.* I. 2. §. 48. qui assiduus Socratis comes, eius studia imitari studebat. Hinc ipsius maxime mentionem cum Socrate coniungit Aristophanes in *Nubibus* v. g. vs. 103 *sqq.*

Τοὺς ὠχριῶντας, τοὺς ἀνυποδήτους λέγεις
Ὧν ὁ κακοδαίμων Σωκράτης καὶ Χαιρεφῶν.

Cff. vs. 530 et 1465. Erat Chaerephon, uti ex Platone novimus, ingenio acer et fervidus, σφοδρὸς ἐφ' ὅτι ὁρμήσειε Plat. in *Apol.* p. 21 A. in quo quum nimius esse videretur μανικὸς audit in *Charmid.* pag. 153 B. Socrati ab ineunte aetate familiaris fuit. Populi partibus favens, debellata patria, in exsilium cessit (6): restituta libertate, rediit. vid. Platon. in *Apol.* l. l. Corpore erat infirmo et debili; nimium studiis intabuisse et impalluisse libris videtur. Schol. ad *Aristoph. Nub.* vs. 504. (*Chaerephon erat*) ἰσχνὸς

(5) Quod cum alii passim ostenderunt, tum luculentissime in *Archilochi* nomine Ruhnkenius ὁ πάνυ ad Vell. Paterc. 1. 5. pag. 20. Ita emendandus est Athen. V. p 346 ὁ δὲ Καλλίας αὐτοῦ (*Aeschinis Socratici*) περιέχει τὴν τοῦ Καλλίου πρὸς τὸν πατέρα διαφορὰν καὶ τὴν Προδίκου καὶ Ἀναξαγόρου τῶν σοφιστῶν διαμώκησιν. Quid enim Anaxagorae cum Callia? quid cum Prodico? non is erat, qui una cum Prodico diceretur σοφιστὴς et ab Aeschine rideretur Omnia igitur videntur suadere, ut pro *Anaxagora* Πρωταγόρου reponamus.

(6) Rempublicam tamen non attigit, quamvis ab auctore *Epistolae Socrat.* 11, dicitur ἐσταλμένος ὑπὸ τῆς πόλεως πρεσβευτὴς εἰς Πελοπόννησον, qui in hoc quoque, ut in multis aliis, hallucinatus est.

ἰσχνὸς καὶ ὠχρὸς, ἅτε φιλοσοφίᾳ συντετηκώς. Philostr. in *Vit. Sophist.* Prooem. ἐκεῖνος μὲν γὰρ ὑπὸ φροντισμάτων ἐνδεεῖ τὸ αἷμα. Quare a Comicis πύξινος dictus est, quod esset *buxei coloris* cff. Schol. ad *Nub.* l. l. Philostr. l. l. Eustath. ad *Iliad.* Ω. vs. 282. et *semimortuus* ab Aristoph. in *Nub.* vs. 503. Hinc quoque νυκτερὶς cognominatus est Aristoph. in *Avib.* vs. 1560.

> Κᾆτ' ἀνῆλθ' αὐτῷ κάτωθεν
> Πρὸς τὸ λαῖμα τῆς καμήλου
> Χαιρεφῶν ἡ νυκτερίς.

Cf. vs. 1296. Dicitur Chaerephon, quae erat ipsius erga Socratem pietas et admiratio, oraculum Delphicum consuluisse, ecquis esset Socrate sapientior. Plato in *Apolog.* p. 21. ibique notissimum accepisse responsum, quo Socrates unus omnium hominum sapientissimus sit iudicatus:

> Σοφὸς Σοφοκλῆς, σοφώτερος δ' Εὐριπίδης
> Ἀνδρῶν δ' ἁπάντων Σωκράτης σοφώτατος.

ut habet Scholiast. ad *Arist. Nub.* vs. 144. vide quos laudat *Menag.* ad Diog. Laërt. II. 37. Non defuerunt tamen, qui totam rem pro fabula haberent, et oraculum ab amicis Socratis et discipulis confictum suspicarentur; quod iam fecit incertus auctor, apud antiquissimum *Scholiorum* auctorem ad Aristoph. l. l. (7) ea potissimum ratione motus, quod Pythia non *Iambico* sed *Heroico* carmine dare responsa solcret. Ex recentioribus vid. Bruck. *Histor. Philos.* Tom. I. p. 534. Sed recte monuit Scholiasta et exemplis confirmavit, iam olim oracula plura Iambico metro fuisse concepta, et *sua aetate* Apollinem ita vaticinari solere. Neque aut a Chaerephontis ingenio aut ab Apollinis Delphici ratione alienum est, nec temere reiici posse videtur Platonis in ea re auctoritas, et Xenophontis in *Apolog.* quae fertur, §. 14. Et Athenaei quidem, ut qui omnium fere philosophorum et maxime Socraticorum errores acerbius et cupidius exagitare amat, iudicium et auctoritatem parum curamus, quom Platonem et Xenophontem in ea re dissentire statuit, atque adeo rem ad Philosophorum mendacia refert. V. p. 218 F. Nam Platonis et Xenophontis loca, quae affert, verbis oraculi dissentiunt, conveniunt sententia; at in iis, quae subiungit: πῶς οὖν εὔλογον ἢ πι-

(7) Misere corruptus est Scholiastae locus: τοῦτον τὸν χρησμὸν ὁμολογῶν ἐν τῇ κατὰ φιλοσόφων ψεύδεσθαί φησι τὴν Πυθίαν. τοὺς γὰρ φυσικῶς χρησμοὺς ἑξαμέτρους εἶναι. Pro φυσικῶς, quod nihili est, facile est reponere Πυθικούς. Sed quis ex corrupto ὁμολογῶν latens scriptoris nomen eruat? *Menagius* ad Diog. Laërt. II. 39. Δημοχάρης restituit, cuius oratio *de Philosophis ex Urbe expellendis* satis nota est: quam tamen emendationem mox ipse merito improbat. Legi possit ὁ Σωτίων ἐν τῇ διαδοχῇ τῶν φιλοσόφων, toties in Philosophorum vitis a Diogene Laërtio et aliis laudatus. Sed hoc quoque videtur audacius.

πιθανὸς Σωκράτη τὸν ὁμολογοῦντα μηδὲν ἐπίστασθαι, σοφώτατον ἁπάντων ὑπὸ τοῦ πάντα ἐπισταμένου θεοῦ ἀναῤῥηθῆναι; εἰ γὰρ τοῦτό ἐστι σοφία τὸ μηδὲν εἰδέναι, τὸ πάντα εἰδέναι φαυλότης ἂν εἴη. τίς δ' ἦν χρεία τῷ Χαιρεφῶντι παρενοχλεῖν τὸν θεὸν περὶ Σωκράτους πυνθανόμενον; αὐτὸς γὰρ ἦν ἀξιόπιστος περὶ αὐτοῦ λέγων, ὡς οὐκ ἔστι σοφός. βλὰξ γάρ τις ἦν ὁ τοιαῦτ' ἐρωτῶν τὸν θεὸν, ὡς ἂν εἰ καὶ τοιαῦτά τινα· τῶν Ἀττικῶν ἐρίων εἰ ἄλλ' ἐστι μαλακώτερα ἢ τῶν ἐν Βάκτροις καὶ Μήδων εἴ τινες δυνατώτεροι ἢ εἰ Σωκράτους ἐστί τις σιμότερος: nescias utrum hominis livorem magis an impudentiam mireris.

Quamvis Chaerephon moribus et consuetudine facilis esset et suavis *Mem.* II. 3. §. 6. graves tamen cum fratre Chaerecrate inimicitias exercuit, quas Socrates *Mem.* l. l. composuisse narratur: atque ex eo loco petitum est, quod ap. Schol. *Aristoph.* l. l. dicitur σφόδρα ἐχθρεύσας τῷ ἀδελφῷ. Grave erat Chaerephontis odium §. 5. tamen ut placabile esset, ut sunt hominum fervidorum irae §. 17.

Scripsit nonnulla, sed olim omnia perierunt. οὐδὲν αὐτοῦ διασώσωσται τῶν συγγραμμάτων. ut auctor est Schol. *Aristoph.* l. l. Mortuus est post libertatem patriae Thrasybuli et exsulum opera restitutam, ante mortem Socratis. vid. Plat. in *Apol.* p. 21 A.

Frater eius CHAERECRATES natu minor *Mem.* II. 3. §. 15. ingenio longe placidior et lenior. cf. §. 14. et ipse verus erat Socratis amicus, *Mem.* I. 2. §. 48. cui in iudicio adfuit fratri superstes, teste Platone in *Apolog.* l. l.

Eadem in Socratem caritas, sed ingenium plane diversum erat in APOLLODORO, Atheniensi, qui tristis et morosus et ad omnia adeo languidus, sola Socratis amicitia vigebat (8). cf. Groen pag. 202 *sqq.* Socrates ipsi erat omnia. cf. Plato *Symp.* p. 173. ut quoad posset et liceret ab eius latere non discederet *Mem.* II. 11. §. 17. Simplex magis et bonus, quam acutus et sollers: unde ἐπιθυμητὴς μὲν ἰσχυρῶς αὐτοῦ (*Socratis*) ἄλλως δ' εὐήθης dicitur in *Apolog.* quae Xenophontis nomine fertur §. 28. hinc illius necem omnium gravissime tulit et nil nisi lacrymari et dolere valuit Plat. *Phaed.* p. 59 A. et 117 D. hinc, quamvis, quod Aelian. V. H. I. 16. refert, eum Socrati splendidam, in qua sepeliretur, vestem attulisse, ut decore funeris moriturum solaretur, nec Platonis nec Xenophontis auctoritate confirmatur, ita tamen in nativam Apollodori bonitatem et εὐήθειαν convenit, ut fidem non habere non possimus. Contra autem, quae tradit

(8) Plutarch. in *Cat. Min.* Cap. XLVI. οἷος ὁ Φαληρεὺς Ἀπολλόδωρος ἱστορεῖται περὶ Σωκράτην γενέσθαι τὸν παλαιὸν ἐμπαθὴς καὶ παρακεκινηκὼς πρὸς τὸν λόγον, οὐ σχέδην οὐδὲ πρᾴως, ἀλλ' ἄκρατον αὐτοῦ καθαψάμενος, ὡς οἱ πάροινοι, καὶ μανικώτερον. Neque tamen in *Epist. Socrat.* XXI. ubi legitur Ἀπολλόδωρος ὁ μαλακὸς ἐπικαλούμενος assentiar Leoni Allatio et aliis μανικὸς reponentibus. Apprime enim illud cognomen in Apollodori indolem et mores convenit.

dit Hegesander Delphus ap. Athen. XI. p. 507. Platonem in coetu quodam post Socratis mortem ceteros animi pendentes et carissimi amici desiderio afflictos, aequo animo esse iussisse: se enim idoneum, qui Academiae praeesset: et arreptum poculum Apollodoro propinasse: cui ille: ἥδιον ἂν παρὰ Σωκράτους τὴν τοῦ φαρμάκου κύλικα εἰλήφειν ἢ παρὰ σοῦ τὴν τοῦ οἴνου πρόποσιν: mera videtur in Platonem calumnia, cupide ab Athenaeo recepta, quam si contemseris, optime confutaveris.

Ceterum in interiorem Socratis familiaritatem admissi erant: Aristodemus Κυδαθηναιεύς, Plat. *Symp.* p. 173 B. statura exigua Plat. *ibid.* *Mem.* I. 4. §. 2. unde facile assentiar *Heinsio* et *Davisio* in Max. Tyr. *Diss.* III. p. 28 ἐρασθέντι Ἀριστοδήμου· ἀλλ' οὐκ ἐρᾶς, αἰσχρὸς γὰρ ἦν pro αἰσχρὸς reponentibus σμικρός. Vita et victu severus; ἀνυπόδητος ἀεὶ, Plat. l. l. Socratis amantissimus et comes assiduus cf. Groen. p. 204.

Censebat rerum naturam τύχῃ τινὶ ortam esse et constitutam, ut colligi potest ex *Mem.* I. l. §. 4. Deos et esse dubitabat: οὐ γὰρ ὁρῶ, inquit §. 9, τοὺς κυρίους, ὥσπερ τῶν ἐνθάδε γιγνομένων τοὺς δημιουργούς: unde de sublititate eius ingenii haud magnifice sentire licet; et, si vel maxime essent, humanum genus non curare existimabat. §. 11. Hinc neque sacra faciebat, nec precabatur, nec divinatione utebatur, et, si qui facerent, irridebat §. 2. unde Socrati occasionem praebuit, de Numine Divino et Divina Providentia egregia illa disputandi, quae leguntur *Mem.* I. l. Quibus cum nihil omnino responderit, quo suam sententiam tueretur, videtur potius miseriis et taedio vitae, quam ex vera animi sententia, rationibus confirmata ad istas opiniones deflexisse.

Hermogenes, Hipponici divitis F., et frater Calliae, qui incertum quo casu ingentes patris divitias solus possedit, unde Hermogenes in summa omnium rerum penuria degens ἐκινδύνευε δι' ἔνδειαν ἀπολέσθαι. *Mem.* II. 10. §. 2. Non apparet, qui fieri potuerit, ut ditissimi Atheniensium filius et frater plane egenus vitam traxerit. In Platonis *Cratylo* p. 386. de hominum malitia et fraudibus, quas senserit, conqueritur, et *ibid.* p. 391 C. fratris in ipsum avaritia arguitur. cf. Groen. p. 224 *sq.* At Calliae convivio tamen cum ceteris excipitur *Symp.* I. §. 3. cui sine ulla querela interfuit, etsi Antisthenes, qua erat in dicendo libertate, *Symp.* IV. §. 34. ubi ait: οἶδα δὲ καὶ ἀδελφούς, οἳ τὰ ἴσα λαχόντες, ὁ μὲν αὐτῶν τἀρκοῦντα ἔχει καὶ περιττεύοντα τῆς δαπάνης, ὁ δὲ τοῦ παντὸς ἐνδεῖται: haud obscure Calliae avaritiam propter fratris paupertatem exprobrat. Sed iste non sensit aculeum, aut dissimulavit. Erat Hermogenes candidus et modestus. Cf. Plat. in *Cratyl.* p. 408 B. homo frugi, *Mem.* II. 20. §. 3. Socrati acceptissimus, qui, ut eius paupertatem sublevaret, cum Diodoro, lautiori amico, commendavit. *Mem.* l. l. Egregie igitur Groen. p. 225. in *Mem.* I. 2. §. 48. ubi veri Socratis amici enumerantur pro Ἑρμοκράτη Ἑρμογένη restituit. Socrati impietatis reo

non

non defuit, sed, ut causam diceret, impense est adhortatus *Mem.* IV. 8. §. 4. quae descripsit auctor *Apolog. Xenoph.* §. 2.

Hermogenis indolem et habitum accurate describit Socrates *Symp.* VIII §. 3. *Ἑρμογένη γε μὴν τίς ἡμῶν οὐκ οἶδεν, ὡς, ὅ,τι ποτ' ἐστιν ἡ καλοκἀγαθία, τῷ ταύτης ἔρωτι κατατήκεται; οὐχ ὁρᾶτε, ὡς σπουδαῖαι αὐτοῦ αἱ ὀφρύες, ἀτρεμὲς δὲ τὸ ὄμμα, μέτριοι δὲ οἱ λόγοι, πρᾳεῖα δὲ ἡ φωνή, ἱλαρὸν δὲ τὸ ἦθος* (9); Lenissimo ille animo ac summa pietate, ceteris amissis, ab amicis destitutus, Deos sibi sensit esse amicos constantissimos. Cf *Symp.* III. §. 14. *οἱ πάντα μὲν εἰδότες, πάντα δὲ δυνάμενοι θεοὶ*, ait *Symp.* IV. §. 48, *οὕτω μοι φίλοι εἰσὶν, ὥστε διὰ τὸ ἐπιμελεῖσθαί μου, οὔποτε λήθω αὐτοὺς οὔτε νυκτὸς οὔθ' ἡμέρας, οὔθ' ὅποι ἂν ὁρμῶμαι, οὔθ' ὅ,τι ἂν μέλλω πράττειν.* Hos pie et precibus et ante omnia vitae sanctitate venerabatur *ibid.* §. 49: *ἐπαινῶ — αὐτοὺς, ὧν τε διδόασιν ἀεὶ, αὖ παρέχομαι οὐδὲν δαπανῶν, εὐφημῶ τε, ὅσα ἂν δύνωμαι καὶ ἐφ' οἷς* (ἂν fort. add.) *αὐτοὺς μάρτυρας ποιήσωμαι, ἑκὼν οὐδὲν ψεύδομαι.* Suspicari autem subit ex §. 48. ubi ait: *διὰ δὲ τὸ προειδέναι καὶ ὅ,τι ἐξ ἑκάστου ἀποβήσεται, σημαίνουσί μοι πέμποντες ἀγγέλους φήμας καὶ ἐνύπνια καὶ οἰωνοὺς, ἅ, τε δεῖ καὶ ἃ οὐ χρὴ ποιεῖν. Οἷς ἐγὼ ὅταν μὲν πείθωμαι, οὐδέποτέ μοι μεταμέλει, ἤδη δέ ποτε καὶ ἀπιστήσας ἐκολάσθην*, animum Hermogenis (qui quamvis *οὐκ ἀγνώμων Mem.* II. 10. §. 3. tamen ingenii subtilitate non erat insignis, et philosophiam primis tantum labris attigerat, ut vere Groen. p. 225. ex Platonis *Cratylo* affirmat) superstitionis cuiusdam non fuisse expertem.

Mirum non est Hermogenem ea indole praeditum fere cogitationibus defixum et quadam animi tristitia fuisse affectum, qualis in iis solet conspici, qui mala et aerumnas non forti pectore contemnere, sed dolendi quadam voluptate consolari malunt. Cf. *Symp.* VIII. §. 1.

Epigenes: huius nominis duo adolescentes Socratis aetate Athenis vixisse memorantur. Alter est Critonis filius Diog. Laërt. II. 121. *οἱ παῖδες δὲ αὐτοῦ διήκουσαν Σωκράτους, Κριτόβουλος, Ἑρμογένης, Ἐπιγένης, Κτήσιππος.* Sed quum Diogenis locus corruptus sit (nam duos tantum filios Crito habuit, Critobulum et Ctesippum, uti constat et Platone. Cf. Heind. ad *Euthyd.* p. 418.) superest ut statuamus Epigenem illum, qui occurrit in *Mem.* III. 12 esse filium Antiphontis, *τοῦ Κηφισιέως*, vid. omnino Platon. in *Apol. Socrat.* p. 33 E, qui Socrati amicus et familiaris in carcere morienti adfuisse dicitur in *Phaed.* p. 59 B. In corpore curando negligentior, quum male et tenuiter

(*Ἰδιω-*

(9) [Hermogenis indoles non nisi per iocum aut ironiam *ἱλαρὸς hilaris* vocari potuit. Atqui hic nullus est ironiae locus. Unde haud scio an legendum sit: *ἵλεων δὲ τὸ ἦθος.* Nam *ἵλεως* praeter vulgarem notionem Atticis exquisite interdum significat *clementem* et *placidum.* Cff. Platon. *Phaedon.* pag. 117 B. Sophocl. *Aiac.* vs. 1009.]

(ἰδιωτικῶς) esset habitus, egregia ipsum de corporis cura admonet Socrates *Mem.* l. l. (10).

Euthydemus: huius nominis tres adolescentes in Socraticorum scriptis occurrunt: quae causa fuit, cur eos interdum viri docti confuderint. Primus est Euthydemus Sophista, quem cum fratre Dionysodoro merito Plato in cognomine Dialogo et alibi explodit. cf. Groen p. 86 *sq.* Alter, filius Cephali, Lysiae oratoris frater, cuius est in Platonis *de Rep.* libris mentio I. p. 328 B. Tertius, qui in Xenophonte occurrit, est filius Dioclis, Plat. in *Symp.* p. 222 B. (11) cui et forma erat egregia, adeo ut in tanto formosorum iuvenum numero, prae ceteris *καλὸς* cognominaretur *Mem.* IV. 2. §. 1 et ingenium ad optima quaeque idoneum. Iuvenilis tamen quaedam virium nimia fiducia effecit, ut *αὐτοδίδακτος* esse cuperet, nec ab alio quoquam quidquam profecisse videri. Hinc Poëtarum et Sophistarum libros diligenter coëmerat permultos, ex hisce scilicet dicendi peritus et magnus in rep. futurus. *Mem.* l. l. §. *1.* et §. 8 *sqq.* Facile tamen Socrates in eo indolis et ingenii praestantiam perspexit: istam vanitatem blande et facete tandem confutavit et diluit, et optimum ceteroquin iuvenem ita sibi conciliavit, ut sine desiderio ab eo abesse non posset. *Mem.* l. l. §. 2—40. cf. Plat. in *Symp.* l. l. hinc *οὐκ ἀπελείπετο ἔτι αὐτοῦ, εἰ μή τι ἀναγκαῖον εἴη· ἔνια δὲ καὶ ἐμιμεῖτο, ὧν ἐκεῖνος ἐπετήδευεν.* Quum una cum Critia sermonibus Socratis interesset, eius flos corporis isti lubidinem incendit, quem adeo Socrates acriter multis praesentibus increpuit. *Mem.* I. 2. §. 29. Socrati erat acceptissimus, qui cum eo potissimum de gravissimo quoque argumento, de pietate erga Deos, de temperantia, de omnibus, quae ad vitam bene constituendam pertinent, lubens et copiose disputat *Mem.* IV. Cap. 3. 5. 6.

Haud multum diversa indoles erat in Glaucone, Aristonis F., fratre Platonis, qui vix vigesimum agens annum laudis et honoris cupiditate ardens, ad remp. accedere gestiebat: quem *τῶν ἄλλων οἰκείων τε καὶ φίλων οὐδεὶς ἠδύνατο παῦσαι ἑλκόμενόν τε ἀπὸ τοῦ βήματος καὶ καταγέλαστον ὄντα* *Mem.* III. 6. §. 1: at Socrates potuit, qui blando colloquio ipsi ostendit, eum multarum rerum scientia et accurata rerum publicarum cognitione plane carere, atque adeo prorsus imparatum esse, qui ad gravissimum civitatis administrandae munus accederet. *εἰ οὖν ἐπιθυμεῖς εὐδοκιμεῖν τε καὶ θαυμάζεσθαι ἐν τῇ πόλει,* inquit Socrates §. 18. *πειρῶ κατεργάζεσθαι ὡς μάλιστα τὸ εἰδέναι, ἃ βούλει πράττειν. ἐὰν γὰρ*

(10) Miro errore Epigenem nostrum cum clarissimo eiusdem nominis Astronomo confundit Harlesius in nota ad Fabricii B. G. Tom. II. p. 720.

(11) Εὐθύδαμον τὸν Γλύκωνος (imo Γλαύκωνος) memorat auctor *Epist. Socrat.* XIII, qui, ut acute vidit *Orellius* ad h. l. in Platonis loco l. Χαρμίδης ὁ Γλαύκωνος, καὶ Εὐθύδημος ὁ Διοκλέους, nomina confudit.

γὰρ τούτῳ διενεγκὼν τῶν ἄλλων ἐπιχειρῇς τὰ τῆς πόλεως πράττειν, οὐκ ἂν θαυμάσαιμι, εἰ πάνυ ῥᾳδίως τύχοις, ὧν ἐπιθυμεῖς. Cuius dicti vim non credo latuisse adolescentem, si nimiam ambitionem, ea aetate facile excusandam, exceperis, egregium, ingenio pariter et doctrina conspicuum, qualem celebrant maxime sermones in Platonis libris *de Rep.* habiti, unde ipsius ingenium eleganter et copiose exponit Groen. p. 207 *sqq.*

Ut erat Glauco sermonibus Socraticis imbutus, ita etiam ad scribendum animum appulit, et, quod multi ea aetate fecerunt, Dialogos edidit novem, quos enumerat Diog. Laërt. II. 124, qui addit ipsius nomine ferri alios XXXII, sed spurios (12).

Iam absoluta notitia eorum, quos Socrates habuit amicos et familiares, videndum est de iis, quos quacunque de causa cognovit, quibuscum in hisce Xenophontis libris disputans inducitur, aut quorum denique quacunque de causa alicubi iniicitur mentio.

Ex hisce nobis primus erit CALLIAS, Hipponici F., nobilissimo genere ortus (13) *Symp.* VIII. §. 40. et Atheniensium ditissimus (14), unde Καλλίου τοῦ Ἱππονίκου πλουσιώτερος in proverbium abiit. cf. Aesch. Socrat. Dial. II. §. 9. Quae si in laude ponen-

(12) Sed animadvertendum est in eo potissimum argumento iam olim elaborasse Sophistas et Rhetores, ut istiusmodi scriptiones fingerent, et antiquissimorum Socraticorum nominibus venditarent. Luculentus de eo argumento locus est apud Diog. Laërt. II. 64. *πάντων μέντοι τῶν Σωκρατικῶν διαλόγων Παναίτιος ἀληθεῖς εἶναι δοκεῖ τοὺς Πλάτωνος, Ξενοφῶντος, Ἀντισθένους, Αἰσχίνου. διστάζει δὲ περὶ τῶν Φαίδωνος καὶ Εὐκλείδου, τοὺς δὲ ἄλλους ἀναιρεῖ πάντας.* In quo sollerter fecisse Panaetium, acutissimum istiusmodi fraudum detectorem, non est, quod dubitemus. Ad Sophistarum igitur et Rhetorum scriptiones referendi sunt Dialogi *Simonis Coriarii*, et *Simmiae* et *Glauconis* et *Critonis* etiam, ad Philosophiam omnium minime facti, quos omnes praeter Diog. Laërt. II. 121—125, nemo Veterum, quod sciam, memoravit. Eo quoque ablegandos esse *Platonis* aliquot Dialogos, quos habemus, tres illos, qui *Aeschinis Socratici* nomine feruntur, *Cebetis* Tabulam et alia, nemo est hodie, qui dubitet.

(13) Calliae stemma habet Palmer. in *Exercitt. ad Auct. Graec.* p. 752 *sqq.* Alternis pater et filius Calliae et Hipponici nomen gerebant unde Aristoph. in *Avib.* vs. 283.

Ἱππόνικος Καλλίου κἀξ Ἱππονίκου Καλλίας.

Cff. *Perizon.* ad Aelian. V. H. XIV. 16. et Gronov. *Obss.* IV. 7.

(14) Πλούσιος et *πλουσιώτατος* Callias passim vocatur. Pater Hipponicus *ἦν πλουσιώτατος τῶν Ἑλλήνων.* Andocid. *de Myst.* p. 64. Notum est, unde primus Callias divitias acceperit et cognomen *λακκόπλουτοι* saepe a Comicis in totam ipsius familiam iactatum. Cff. Plutarch. in *Aristid.* Cap. V. Suidas et Hesychius v. *λακκόπλουτος* et *Bergl.* ad Alciphron. *Epist.* I. 9. pag. 52. Ed. Wagn.

Paulo aliter rem narrat Scholiast. ad *Aristoph. Nub.* vs. 64. a quo iterum diversa tradit Athen. XII. p. 536 *sq.*

nenda sunt, unica Calliae laus est habenda. Nam neque reip. gubernandae nec belli gerendi artibus insignis, neque aut ingenii aut doctrinae laude commendatus, neque virtute ulla aut indolis et morum praestantia conspicuus, nihil aut nobilitate generis aut maximis opibus dignum gessit. Nam Archon quidem fuit (Xenoph. *Hellen.* I. 6. §. 1.) quod nemo miretur, memor Archontes Athenis ex ditissimis civibus (πλουτίνδην) sorte duci. Cf. Plutarch. in *Arist.* Cap. 1. in *Pericl.* Cap. IX: et praefuit exercitui cum Iphicrate collega (*Hellen.* IV. 5. §. 13.) a quo contemtus μητραγύρτης vocabatur (Aristot. *Rhetor.* III. 2.). Erat ex collegio τῶν Κηρύκων (Andoc. *de Myst.* p. 58 et 63.) et δᾳδοῦχος, (Xenoph. *Hellen.* VI. 3. §. 3. Andoc. *ibid.* p. 55.) cuius muneris honorem a maioribus hereditarium acceperat. Cff. Plutarch. in *Arist.* Cap. V. Scholiast. Arist. ad *Nub.* vs. 64. unde ἱερεὺς θεῶν τῶν ἀπ' Ἐρεχθέως dicitur *Symp.* VIII. §. 40. quod recte de *Cerere* et *Proserpina* accipitur cf. *Schneid.* ad h. l. Nam Andocidi p. 62. dicitur ἱερεὺς τῆς μητρὸς καὶ τῆς θυγατρὸς (15). Ceterum etiam προξενίαν Lacedaemoniorum a maioribus acceperat *Symp.* VIII. §. 39. Hellen. V. 5. §. 2. cf VI. 3 §. 4 ad quos ter publica auctoritate missus est Legatus, ut ipse testatur *Hellen* VI. 3. §. 4. Sed si exigua ista, quibus ne mediocrem quidem laudem sibi conciliavit, exceperis, vitam degit inertem ac dissolutam: ut inanis gloriolae speciem sibi compararet, ingentes Sophistis pecunias prodegit, quos laute excipiens, ita demum se sapientem aut fore aut habitum iri sperabat. Passim eo nomine a Platone perstringitur. Cf Groen p. 131 *sqq.* Xenophontis de ea re loca sunt *Symp.* I. §. 5. IV. §. 61. Ex istorum autem consuetudine nil nisi vanus et mirifice sibi placens factus est et οἷος μηδὲν ἧττον ἥδεσθαι ὑφ' αὑτοῦ ἢ ὑπ' ἄλλων ἐπαινούμενος. *Hellen.* VI. 3. §. 3: neque quidquam aut in bene dicendi facultate aut in philosophiae studio, a quo plane ingenio et natura erat alienus (16), profecit. Quam nulla enim esset in eo dicenda peritia, satis superque declarat oratio, quam apud Xenoph. in *Hellen.* l. l. de componenda pace Lacedaemone habuit. Operae pretium est audire ipsum oratorem. Statuit

(15) Minus recte *Reiskius* verba τῆς μητρὸς καὶ τῆς θυγατρὸς delenda existimat. Nam aut nihil movendum et simpliciter de *Cerere et Proserpina* accipiendum, aut, quod malim, pro τῆς μητρὸς facili medicina Δημητρὸς restituendum. [Nam saepius Ceres et Proserpina vocantur Δημήτηρ καὶ Κόρη v. g. apud Xenoph. *Hell.* VI. m. l. Diod. Sic V. 26. XIV. 63. et 77: ἡ Μήτηρ autem est *Cybele*]

(16) Hinc emendandus est Maximi Tyrii locus in *Diss* XXIV. p. 291. Dav. ταῦτα εἶμαι Θρασύμαχον εἰπεῖν ἢ Καλλίαν ἢ Πῶλον ἢ ὅστις ἄλλος τῇ Σωκράτους φιλοσοφίᾳ ἐπολέμει: nam nihil minus in Calliam convenit. Sed legendum est Καλλικλέα, quem ex Platonis Gorgia cognovimus Socrati adversantem; ut certum est ex alio Maximi loco in *Dissert.* XXXII. p. 385. Θρασύμαχόν τινα ἢ Πῶλον ἢ Καλλικλέα ἢ τινα ἄλλον λαβητῆρα ἢ ἐπίσβολον.

tuit oportere numquam Lacedaemonios et Athenienses arma sibi inferre, ἐπεὶ λέγεται μὲν ὁ Τριπτόλεμος, ὁ ἡμέτερος πρόγονος τὰ Δήμητρος καὶ Κόρης ἄῤῥητα ἱερὰ πρώτοις ξένοις δεῖξαι Ἡρακλεῖ τε τῷ ὑμετέρῳ ἀρχηγέτῃ καὶ Διοσκούροιν τοῖν ὑμετέροιν πολίταιν, καὶ τοῦ Δήμητρος δὲ καρποῦ εἰς πρώτην τὴν Πελοπόννησον σπέρμα δωρήσασθαι. Gravissimum sane argumentum! hoc Spartani curabant scilicet; sed nondum omnia dixerat. πῶς οὖν δίκαιον ὑμᾶς παρ' ὧν ἐλάβετε τὰ σπέρματα, τὸν τούτων καρπόν ποτε ἐλθεῖν δῃώσοντας, ἡμᾶς τε, οἷς ἐδώκαμεν, μὴ οὐχὶ βούλεσθαι ὡς πλείστην τούτοις ἀφθονίαν τροφῆς γενέσθαι. Quis vero, Graeciae iis temporibus conditionem reputans, ista sine risu legat, a legato de gravissimis rebus misso pronunciata, quae in declamitante Sophista vix feras?

Quantopere autem hebes fuerit et obtusum in philosophiae studio Calliae ingenium, non credo facetius et apertius exponi posse, quam fecerit in convivio Xenophon. Iactat suam ipse Callias sapientiam I. §. 6. qua homines ad virtutem proficere efficiat et reddat iustiores. *Symp.* III. §. 4. hoc enim sibi esse facillimum, accepta nempe a se pecunia, revocari homines a multis facinoribus, ad quae plerosque penuria victus soleat impellere. *Symp.* IV. §. 1 *sqq.* quas ineptias non ferens Antisthenes istam Calliae iustitiam arguit in marsupiis magis quam in animis hominum esse sitam: et plane nullam esse statuit, quod ipse fateretur Callias, plerosque omnes nec beneficia sibi referre, nec gratias habere, imo nonnullos sibi etiam infestiores, quam antea, esse; unde efficit homines erga ceteros omnes fieri iustos, erga illum ipsum non fieri. Quae Callias ita refutat: καὶ τί τοῦτο θαυμαστόν; οὐ καὶ τέκτονάς τε καὶ οἰκοδόμους πολλοὺς ὁρᾷς, οἳ ἄλλοις μὲν πολλοῖς ποιοῦσιν οἰκίας, ἑαυτοῖς δὲ οὐ δύνανται ποιῆσαι, ἀλλ' ἐν μισθῷ αὐτοὶ οἰκοῦσιν; ἀλλ' ἀνάσχου μέντοι, ὦ σοφιστά, ἐλεγχόμενος. Cui tum facetissimus Socrates: ἀνεχέσθω μέντοι· ἐπεὶ καὶ οἱ μάντεις λέγονται δήπου ἄλλοις μὲν προαγορεύειν τὸ μέλλον, ἑαυτοῖς δὲ μὴ προορᾶν τὸ ἐπιόν. Antisthenem aculeus non latuit, at latuit Calliam, qui sic mirifice sperabat se esse locutum. *Symp.* IV. §. 2—6. Atque ita per totum Convivium Socratica εἰρωνεία et lepores Calliam nil tale cogitantem illudunt et delectant tamen. Sic VIII. §. 42. petenti Calliae: οὐκοῦν σύ με, ὦ Σώκρατες, μαστροπεύσεις πρὸς τὴν πόλιν ὅπως πράττω τὰ πολιτικὰ καὶ ἀεὶ ἀρεστὸς ὦ αὐτῇ; respondet: ναὶ μὰ Δί', ἢν ὁρῶσί γέ σε μὴ τῷ δοκεῖν ἀλλὰ τῷ ὄντι ἀρετῆς ἐπιμελούμενον, quibus verbis se laudari ille existimabat. Sic Socrates honesti amoris laudem celebrans, eamque Calliae propter Autolyci amorem tribuens *Symp* VIII. §. 8 *sqq.* libidinosum hominem non laudabat magis, quam qualem esse oporteret, admonebat. cf. §. 12. Nam fuit Callias per totam vitam intemperantiae et libidinibus deditus, helluo et mulierosus, quo nomine passim quum ab aliis Comicis (17), tum ab Aristophane risus est. Aristoph. *Ran.* vs. 428.

Καὶ

(17) Ex quibus praecipue Eupolis in Fabula, quae Κόλακες erat inscripta, eum exagitasse dicitur. Cff. Athen. XI. p. 406. Schol ad *Aristoph. Av.* vs. 283.

Καὶ Καλλίαν γέ φασι
Τουτονὶ τὸν Ἱπποβίνου
Κυσθοῦ λεοντῆν ναυμαχεῖν ἐνημμένον.

ubi Schol. *κωμῳδεῖται ὁ Καλλίας ὡς σπαθῶν τὴν πατρικὴν οὐσίαν καὶ μάλιστα ἐπὶ γυναιξὶ μεμηνώς*. cff. Scholia ad *Av.* vs. 544. Hinc *πτερορρυεῖν* dicitur in *Avib.* vs. 284.

Ἅτε γὰρ ὢν γενναῖος ὑπὸ τῶν συκοφαντῶν τίλλεται,
Αἵ τε θήλειαι προσεκτίλλουσιν αὐτοῦ τὰ πτερά.

Cf. Aelian. V. H. IV. 16. ibique *Perizon.*

Acerbe morum impuritas et vitae sordes ipsi exprobrantur ab Andocide in orat. *de Mysteriis*, ubi ait iam in ipsius prima aetate fuisse inter mulierculas et puerulos rumorem, Hipponicum alere *ἀλιτήριον, ὃς αὐτοῦ τὴν τράπεζαν ἀνατρεπεῖ* (18) p. 60. Reisk. mox addit: *Ἱππόνικος ἀλιτήριον ἔτρεφεν, ὃς ἀνατέτροφεν ἐκείνου τὸν πλοῦτον, τὴν σωφροσύνην, τὸν ἄλλον βίον ἅπαντα.* Obiicit ipsi, quod Ischomachi filiam uxorem duxerit, mox matrem ipsi adiunxerit, et utramque simul in matrimonio habuerit. Et filia quidem, dedecoris impatiens, vitam laqueo finire voluit, prohibita, aufugit: matrem mox eiecit gravidam: filium ex ea natum primum repudiavit, deinde, reconciliata gratia, pro suo agnovit. Andocid. p. 62 *sqq.* multa deinde ipsi in eadem oratione obiiciuntur alia, sed quamvis a Calliae moribus et vita non sint aliena, notum est, quantum de Oratorum criminationibus sit detrahendum. Quidquid autem huius rei est, Callias opes ingentes meretricibus et adulatoribus profundens, tandem ita afflixit, ut miseram inops senectutem cum anicula barbara degisse narretur. Athen. XII. p. 526. quum de divitiis Hipponici mentionem fecisset: *τούτων οὖν τῶν χρημάτων Καλλίας κύριος γενόμενος καὶ πρὸς ἡδονὴν βιώσας (ποῖοι γὰρ οὐ κόλακες ἢ τί πλῆθος οὐχ ἑταιρῶν περὶ αὐτὸν ἦσαν; ποίας δὲ δαπάνης οὐχ ὑπερεώρα ἐκεῖνος;) ἀλλ᾽ ὅμως εἰς τοσοῦτον περιέστησεν αὐτὸν ὁ περὶ ἡδονὴν βίος, ὥστε μετὰ γραϊδίου βαρβάρου διατελεῖν ἠναγκάσθαι καὶ τῶν ἀναγκαίων καθ᾽ ἡμέραν ἐνδεὴς γενόμενος τὸν βίον ἐτελεύτησε.* Quod autem refert Aelian. V. H. IV. 23. Calliam, abliguritis omnibus cum duobus amicis sumto veneno vitam proiecisse, in eo memoria lapsus est, et quod Athenaeus XII. p. 537, quem fere, ut assolet, descripsit, de Anticle et Nicia refert, id Calliae et Pericli, quorum praecesserat ap. Athen. mentio, tribuit. cf. *Periz.* ad Aelian. l. l.

Cal-

(18) Minus recte vulgo *ἀνατρέπει*. In loco Andocidis mox l. Sluiterus v. cl. in *Lectt Andocid* pag. 157. et Luzac. *ibid* pro *ἀνατέτροφε* reponere voluerunt *ἀνατέτροπε*. Sed vereor ne locum corruperint magis quam emendaverint. Non enim est a verbo *τρέφειν*, uti putarunt, sed a *τρέπειν*, cuius tempus perfectum *τέτροφα* aliquoties legitur, *τέτροπα* vereor, ne nusquam occurrat. [Cf. Aristoph. in *Nubib.* vs. 835.

Τὰς δ᾽ ἐμβάδας ποῖ τέτροφας, ὦ 'νόητε σύ;

et Hesychii glossa: *τετρόφασιν, ἀπενηνόχασιν.*]

Calliae familiaris erat NICERATUS (19) *Symp.* I. §. 2. Niciae Imperatoris F., quem a patre saepius sibi commendatum, tamen in interiorem familiaritatem admittere Socrates identidem recusaverat. cf. Plat. *Lach.* p. 200 C. Nam perspexerat Niceratum, quamvis probabilem indole et vita iuvenem, ad severiora philosophiae studia frigere et magis ingenio ad hilariora Musices et Poëseos studia ferri. Musicam a Damone edoctus. *Lachet.* p. 180 C. maximam adolescentiae partem in Poëtarum, imprimis Homeri, lectione trivit *Symp.* III. §. 5. in quo tanta diligentia et studio incubuit, ut Iliadem et Odysseam teneret memoria *ibid.* cf. IV. §. 6 *sqq.* et §. 45. Ergo Homeri interpretes sua aetate clarissimos habuit magistros *Symp.* III. §. 6. et Rhapsodos fere quotidie audiebat. *ibid.* hinc facile est coniicere, eum cum istis interdum in certamen descendisse, atque eum ipsum esse, quem Aristot. *Rhet.* III. 11. §. 13, refert aliquando a Pratye Rhapsodo fuisse in eiusmodi certamine superatum. cf. Schneid. ad *Symp.* l. l.; quamvis Naekius in Disput. *de Choerilo Samio* p. 31. accipere malit de Nicerato quodam Heracleota, quem ἐποποιὸν vocat Marcellinus in *Vita Thucydidis* Vol. II. p. 725. Ed. Lips. quemque Plutarchus: in *Lysandr.* Cap. XVIII. refert adfuisse Lysandro, et in ipsius honorem carmen Epicum, Λυσάνδρια, condidisse: ex quo loco Niceratum illum ignobilem et mediocrem poëtam fuisse, satis apparet.

De reliqua Nicerati vita parum constat: quamvis genere et opibus insignis, ad remp. non accessit. Cf. Lysias *advers. Poliarch.* p. 602. Reisk. quod et ipsius ingenio et reip. conditioni tribuendum videtur. Unus fuit ex optimis civibus, quos triginta Tyranni saevitia et avaritia moti, indemnatos occiderunt, ut auctores sunt Xenoph. *Hellen.* II. 3. §. 39. Lysias l. l. Plutarch. *de esu animalium.* II, 2. Diod. Sicul. XIV. 5. *ἀνεῖλον δὲ καὶ (οἱ λ') Νικήρατον τὸν Νικίου, τοῦ στρατηγήσαντος ἐπὶ Συρακουσίους υἱὸν, ἄνδρα πρὸς ἅπαντας ἐπιεικῆ καὶ φιλάνθρωπον, πλούτῳ δὲ καὶ δόξῃ σχεδὸν πρῶτον πάντων Ἀθηναίων. διὸ καὶ συνέβη πᾶσαν οἰκίαν συναλγῆσαι τῇ τἀνδρὸς τελευτῇ, τῆς διὰ τὴν ἐπιείκειαν μνήμης προαγούσης εἰς δάκρυα:* in quibus tamen Diodorus, ut est saepe in laudando nimius, in nonnullis modum excessit. Qui enim fieri potuit, ut Niceratus, qui neque belli neque pacis artibus excelluit, gloria fere omnes Athenienses superaverit? et avitas paternasque divitias magnopere fuisse imminutas ex Lysiae loco *de bonis Aristoph.* p. 658 R. supra verbo monuimus.

Dicitur Niceratus *Symp.* II. §. 3. et IV. §. 8. recens duxisse uxorem. Illa, ut auctor est Hieronymus, loco a Schneid. ad Xenoph. *Hellen.* II. 3. §. 39. indicato „*impatiens iniuriae viri mortem sibi ipsa conscivit, ne triginta Tyrannorum — libidinem sustineret.*" Quae si ille vera tradidit, probabilis Nicerati necis causa habe-

(19) Penultima brevi. cf. versiculus *Teleclidis* apud Plutarch. in *Nic.* Cap. IV.

beri possit. Ex ea suscepit filium, de quo nonnulla habet **Lysias** in Orat. I. pag. 635, qui et ipse videtur habuisse filium Niceratum, quem memorat in *Midiana* **Demosthenes** p. 567. et quem cum avo interdum viri docti confuderunt.

Memoratur in *Oecon.* VII *sqq.* colloquium a Socrate de re familiari tuenda et augenda cum Ischomacho quodam habitum. Erat ille ISCHOMACHUS vir praestantissimus, animi dotibus et virtutibus dignissimus, qui a Socrate in exemplar proponeretur illius, qui patris familias muneribus egregie fungeretur, nec boni civis et veri amici officiis deësset. cf. *Oecon.* VII et XI. Huic adeo contigit, ut prae ceteris *καλοῦ κἀγαθοῦ* cognomine ab omnibus decoraretur. *Oecon.* VI. §. 17. XI. §. 20. XII. §. 2. et merito quidem, ipso Socrate iudice. VI §. 12. Erat in eo animus lenis et liberalis, aequi iustique tenax, diligentia insignis, singularis rerum ad rem familiarem pertinentium peritia et sollertia. cf. omnino Cap. XI. Quas laudes augebant vera erga Deos pietas et reverentia. cff. *Oecon.* VII. §. 7. XI. §. 8. XXI. §. 12. et *alibi;* magnopere etiam ornabant candor et modestia. VII. §. 3. XI. §. 2. Quamvis a reip. administratione alienus, tamen opibus, quas habebat amplissimas (XI. § 20) patriae praesidio et decori esse studebat. XI. §. 9. cf. VII. §. 3. neque dicendi imperitus (XI. §. 23.) sycophantarum, quos divitiae in ipsum excitabant, calumnias, ipse diluebat. XI. §. 21 *sq.* Neque amicis deerat, quorum inopiam sublevare amabat. XI. §. 9 *sq.*

Huius igitur referuntur *Oecon.* VII *sqq.* de re familiari imprimis agriculturae studio tuenda praecepta egregia, quae in colloquio cum Socrate habito tanta prudentia pariter et elegantia exponit, ut alterum tibi Socratem audire videaris, et passim animum subeat suspicio, lepidum *εἴρωνα*, quod in Aspasia et Diotima facit apud **Platonem**, hic in Ischomacho facere voluisse. Ceterum de Ischomachi vita et rebus exigua tantum et incertissima apud alios auctores reperiuntur. **Plutarch.** in libello *de Curiositate* Cap. II. refert Aristippum in ludis Olympicis in Ischomachum quemdam incidisse, qui cum eo nonnulla ex Socraticis sermonibus communicaverit. **Lysias** *de bonis Aristoph.* p. 646. *οὐ νῦν μόνον ἀλλὰ καὶ ἐν τῷ ἔμπροσθεν χρόνῳ πολλῶν ἐψεύσθητε τῆς οὐσίας, καὶ ζῶντες μὲν πλουτεῖν ἐδόκουν, ἀποθανόντες δὲ πολὺ παρὰ τὴν δόξαν τὴν ὑμετέραν ἐφάνησαν· αὐτίκα Ἰσχομάχῳ, ἕως ἔζη πάντες ᾤοντο εἶναι πλείω ἢ ἑβδομήκοντα τάλαντα, ὡς ἐγὼ ἀκούω· ἐνειμάσθην δὲ τὼ υἱέε οὐδὲ δέκα τάλαντα ἑκατέρῳ ἀποθανόντος.* Probabile est eundem intelligi apud **Heraclidem Ponticum** ap. **Athen.** XII. p. 537. *τὸν δὲ Νικίου τοῦ Περγάσηθεν πλοῦτον ἢ τὸν Ἰσχομάχου τίνες ἀπώλεσαν; οὐκ Αὐτοκλέης καὶ Ἐπικλέης, οἱ μετ' ἀλλήλων ζῆν προελόμενοι καὶ πάντ' ἐν ἐλάττονι ποιούμενοι τῆς ἡδονῆς; ἐπειδὴ δὲ πάντα κατανάλωσαν, κώνειον πιόντες, ἅμα τὸν βίον κατανάλωσαν.* Quae omnia haud dubitanter **Schneid.** ad *Oecon.* VII. §. 17 ad nostrum Ischomachum retulit: sed quamvis in tali re nihil definire satius est, quomodo veri est simile, virum, qualis esset Ischomachus, rem familiarem clam et sensim tantopere imminuisse. Nam vel diligentissimi quidem et optimi cuiusque fortunae va-

variis casibus possunt affligi, sed divitem videri nec esse, negligentis est aut prodigi. Quae quum in nostrum minime conveniant, satius est ea ad alium quemcunque Ischomachum, qui ea aetate fuerit Athenis, v. c. ad Calliae socerum, cuius meminit Andocid. *de Myster.* p. 62. aut alium quemvis, quam ad nostrum referre.

Hunc excipiat celeberrima fama Socratis magistra ASPASIA MILESIA. Quamvis *Wagnerus* alicubi ad Alciphronem annotavit: *„de Aspasia aliquid scribere esse „post Homerum scribere Iliada."* tamen et suavitate argumenti et quod soleant in Aspasiae historia multa confundi et falsa pro veris venditari, allicimur, ut aliquanto copiosius in ipsius vita et rebus illustrandis versemur.

Hic enim verissimam esse apparet Plutarchi querelam in *Vita Periclis* Cap. XIII; *ἔοικε πάντη χαλεπὸν εἶναι καὶ δυσθήρατον ἱστορίᾳ τἀληθὲς, ὅταν οἱ μὲν ὕστερον γεγονότες τὸν χρόνον ἔχωσιν ἐπιπροσθοῦντα τῇ γνώσει τῶν πραγμάτων, ἡ δὲ τῶν πράξεων καὶ τῶν βίων ἡλικιῶτις ἱστορία τὰ μὲν φθόνοις καὶ δυσμενείαις, τὰ δὲ χαριζομένη καὶ κολακεύουσα λυμαίνηται καὶ διαστρέφῃ τὴν ἀλήθειαν.* Nam ea omnia effecerunt, ut Aspasiae et multa ex livore et invidia indecora et turpia tribuerentur, et contra passim ex nimio studio et admiratione nimiae eius celebrarentur laudes: et quum Aspasiam memoraverint quum ipsius *aequales*, Comici praesertim et Philosophi, tum *recentiores* auctores, et gravissimi, qualis Plutarchus, et doctissimi, qualis Athenaeus, quibus sua debuerunt Grammatici, ceterique omnes, atque horum omnium auctoritatem, quasi unam et consentientem Antiquitatis vocem, haud cunctanter amplexi fuerint omnes, qui recentiore aetate eius fecere mentionem, nobis quidem, re accuratius considerata, visi sunt in plerisque alii dedita opera verum corrupisse, alii inconsiderate hos esse secuti. Quod quo facilius appareat, primum ex hisce fontibus Aspasiae historiam, qualis vulgo exponitur, exhibebimus; deinde, quid in singulis verum sit, quid falsum expendere conabimur.

Aspasia, Axiochi filia, nata est Mileti in Asia Minore (1): ubi ad florem pervenit aetatis, sive ultro, sive quod recentiores nonnulli nescio qua auctoritate freti aiunt, bello capta venit Athenas. Brevi post bella Persica floruerat in Graecia Thargelia quaedam, egregia mulier forma, sollertia etiam insignior, quae ut Persis, quibus favebat, prodesset, in intimam summorum in Graecia virorum gratiam se insinuavit, atque ita multos ad Persarum partes vel aperte vel clam sequendas pertraxit (2). Ad huius se

(1) Cff. Plutarch. in *Pericl.* Cap. XXIV. Scholiast. Platonis ad *Menexenum*, aliique passim.

(2) Plutarch. l. l. Athen. XIII. pag. 608 *sq.* qui quatuordecim viris eam nupsisse refert. De ea scripsit Aeschines Socraticus orationem, ex qua hoc fragmentum servavit Philostrat. in *Epist. ad Iuliam Augustam.* p. 919. Olear. *Θαργηλία, ἐλθοῦσα εἰς τὴν Θετταλίαν*

se exemplum Aspasia composuit, artificia tamen magis quam consilia secuta. Et ipsa pulchritudine ac specie ante omnes commendatissima et, quod etiam maius est, ingenii incomparabili lepore, facilitate et gratia omnium facile prima, quid mirum, si mox dulce in omnes exercuerit imperium? Athenis ergo, Gratiarum dulcissima sede, principes et nobilissimos adolescentes et viros consuetudinis dulcedine sibi conciliavit et devinxit (3). Ad eam confluebant genere, opibus, ingenio, artibus et scientiis quique clarissimi: cum his assidue una esse et confabulari dulcissime et urbane iocari et disputare acute et de quavis re pulchra et eleganti ita iudicare, ut nil addi posse videretur.

« *Quis erat Athenis*" ait Vir Cl. van Assen in oratione vernacula *de Pericle Atheniensi* « *urbanitatis et elegantiae studiosus, qui Aspasiae consuetudine non de-* « *lectaretur? Cum ea Anaxagoras sermones cum Pericle habitos communicabat;* « *Socrates et Xenophon suismet ipsorum artibus capti, mirantur ipsius ironiam et* « *saepius se expedire nequeunt; Phidias et Alcamenes hanc faciunt pulcherrimi* « *cuiusque operis arbitram; Sophocles ipsi recitat Tragoedias, ex ipsius demum iu-* « *dicio eas aestimaturus.*"

Sic et adolescentibus, facundia, urbanitate et lepore conspicuis aedes Aspasiae patebant, et philosophis placidis, quibus vita severior, neque tamen minus studium elegantiae, et principibus in rep. viris, qui auctoritate et rebus gestis clari, ut a reip. gubernandae laboribus et curis se reficerent, Gratiis litabant. Omnium primus Pericles, vir eximius, (nam homuncionum calumnias hodie dudum credo intermortuas) hic formosae Milesiae tam scitulae, tam blandulae, se in disciplinam tradidit scilicet, ut rhetoricam addisceret (4). Ad quam tamen antequam pervenire potuit, res amatorias perdidicit: et facile credimus Plutarcho, non discendi ardorem magis quam amorem huius consuetudinis fuisse causam affirmanti. Et vero huc omnia potius pertinere videbantur; secum habebat formosissimas ex Asia minore puellas, Ionicas illas quae « *incestum et* « *malos amores De tenero meditantur ungui*" neque apud se tantum habebat, sed per totam adeo Graeciam formosarum puellarum greges disperserat, ut Athenaeus affirmat (5), ita ut, teste eodem, Graecia pulchris meretricibus abundaret. Quis autem, vel

ξυνῆν Ἀντιόχῳ Θετταλῷ βασιλεύοντι πάντων Θετταλῶν. Cff. etiam Suidas et Hesychius v. *Θαργηλία.*

(3) Plutarch l. l. *τῶν τε πολιτικῶν τοὺς πρωτεύοντας ἐχειρώσατο καὶ τοῖς φιλοσόφοις οὐ φαῦλον οὐδ' ὀλίγον ὑπὲρ αὐτῆς παρέσχε λόγον.*

(4) Plutarch. *ibid.* Harpocration v. *Ἀσπασία.* Suidas in v. Scholiast. Aristoph. *Acharn.* vs. 526. Scholiast. Platon. l. l. Clem. Alexandr. *Strom.* IV. p. 523. *Ἀσπασίας τῆς Μιλησίας, περὶ ἧς καὶ οἱ Κωμικοὶ πολλὰ δὴ καταγράφουσι, Σωκράτης μὲν ἀπέλαυσεν εἰς φιλοσοφίαν, Περικλῆς δὲ εἰς ῥητορικήν.* Cf. etiam Alciphr. *Epist.* I. 34.

(5) Lib. XIII. p. 569.

vel tacente Antiquitate, dubitare possit, mulierculas istas Atticorum adolescentium lubidini praesto fuisse: et ecce! diserte affirmat Plutarchus, quum dicit, dolendum esse tam egregiam mulierem tam turpem occepisse quaestum et meretriculas habuisse domi. Et minime illud latuit Comicos (6), quorum alius alio acerbius hoc ei exprobravit. Quid autem mirum, si Pericles hisce artificiis mox ita fuerit delinitus, ut legitimam uxorem dimitteret et Aspasiam pro uxore haberet (7): quam tanto amore amplexus est, tam tenerrima caritate deamavit, ut non privatim tantum sibi esset omnia, ut semper sive exiret foras, sive rediret osculo eam salutaret (8), sed etiam in rebus politicis tantum ei tribueret, ut non solum ipsi gratificans Samiacum bellum incenderit miserosque Samios in Milesiorum gratiam ad restim redegerit (9), sed quod maius est, ipsum adeo Peloponnesium bellum excitaverit. Non possum, quin celeberrimos Aristophanis de ea re versiculos adscribam ex *Acharn.* vs. 524 *sqq.*

Πόρνην δὲ Σίμαιθαν ἰόντες Μεγαράδε
Νεανίαι κλέπτουσι μεθυσοκότταβοι.
Κᾆτ' οἱ Μεγαρῆς ὀδύναις πεφυσιγγωμένοι
'Αντεξέκλεψαν 'Ασπασίας πόρνα δύο.
Κἀντεῦθεν ἀρχὴ τοῦ πολέμου κατεῤῥάγη
Ἕλλησι πᾶσιν ἐκ τριῶν λαικαστριῶν.
'Εντεῦθεν ὀργῇ Περικλέης οὑλύμπιος
Ἤστραπτ', ἐβρόντα, ξυνεκύκα τὴν Ἑλλάδα,
Ἐτίθει νόμους, ὥσπερ σκολιὰ γεγραμμένους,
Ὡς χρὴ Μεγαρέας μήτ' ἐν γῇ, μήτ' ἐν ἀγορᾷ,
Μήτ' ἐν θαλάττῃ, μήτ' ἐν ἠπείρῳ μένειν.
'Εντεῦθεν οἱ Μεγαρῆς, ὅτε δὴ 'πείνων βάδην,
Λακεδαιμονίων ἐδέοντο, τὸ ψήφισμ' ὅπως
Μεταστραφείη τὸ διὰ τὰς λαικαστρίας,
Κοὐκ ἠθέλομεν ἡμεῖς δεομένων πολλάκις,
Κἀντεῦθεν ἤδη πάταγος ἦν τῶν ἀσπίδων.

Cf.

(6) Cratinus et Eupolis apud Plutarch. l. l.

(7) De Pericle scribere non erubuit Heraclides Ponticus in libro *de Voluptate* apud Athen. XII. p. 533. *ὡς ἀπήλλαξεν ἐκ τῆς οἰκίας τὴν γυναῖκα καὶ τὸν μεθ' ἡδονῆς βίον προείλετο ᾤκει τε μετ' 'Ασπασίας, τῆς ἐκ Μεγάρων ἑταίρας καὶ τὸ πολὺ μέρος τῆς οὐσίας εἰς αὐτὴν κατανάλωσεν.*

(8) Plutarch. l. l. quod ex *Antisthenis* Dialogo petitum esse constat ex Athen. XIII. p. 589.

(9) Plutarch. in *Pericl.* Cap. XXV. Duris Samius et Theophrastus Lib. IV. *Politicorum* apud Harpocrat. l. l.

Cf. omnino in *Pace* vs. 605 *sqq.* (10).

Gravissima autem haberi solet in his Aristophanis auctoritas, ut qui rebus ipse interfuerit et coram omnibus Atheniensibus de belli causa, quid sentiat, eloquatur. Aspasia autem Periclem ad mortem usque amantem redamavit et ex eo suscepit filium, patris de nomine Periclem dictum (11), quem supra vidimus indole et factis nobilem post calamitatem ad Arginusas ab ingratis civibus capitis fuisse damnatum.

Haud minus celebris Aspasiae cum Socrate consuetudo fuit. Nempe erat in ea tanta omnium rerum, quae ad *τὸ καλὸν* pertinerent, copia, felicitate inveniendi et eloquendi facilitate ita excellebat, ut elegantiores quique philosophi admiratione moti lubentissime eius consuetudine et sermonibus fruerentur. In his praecipuus Atticus *εἴρων*, quem docilem habuit discipulum, qui ab ipsa variarum rerum, imprimis amatoriarum scientiam et dicendi vim et elegantiam lucratus est: atque adeo saepe praeclaram, qua usus sit, iactat magistram et apud Platonem cf. Groen. p. 123 et 141. et Xenophontem in *Oecon.* III. §. 14. *συστήσω δέ σοι ἐγὼ καὶ Ἀσπασίαν ἣ ἐπιστημονέστερον ἐμοῦ σοι ταῦτα πάντα ἐπιδείξει* et in *Mem.* III. 6. §. 36. quo nomine passim recentiores auctores Aspasiam celebrarunt (12).

Verum tantam in muliere gloriam et nomen livor et invidia non ferebant; Periclis inimici, quum ipsum de gloriae et auctoritatis gradu se deiicere posse desperarent, amicos insectati sunt. Hinc Anaxagoras exsilio mulctatus, hinc Phidias vix necem effugit, hinc Damon eiectus, hinc etiam Aspasia calumniis petita. Vitae genus et mores liberiores quum Athenis non satis ampla esset criminationis materia, ad commune illud et facile cri-

(10) Aristophanis auctoritatem sequitur Athen. XIII. p. 570 A. Idem p. 589 D. *Περικλῆς δὲ ὁ Ὀλύμπιος, ὥς φησι Κλέαρχος ἐν πρώτῳ Ἐρωτικῶν, οὐχ ἕνεκεν τῆς Ἀσπασίας τῆς νεωτέρας ἀλλὰ τῆς Σωκράτει τῷ σοφῷ συγγενομένης, καίπερ τηλικοῦτον ἀξίωμα συνέσεως καὶ πολιτικῆς δυνάμεως κτησάμενος οὐ συνετάραξε πᾶσαν Ἑλλάδα*; ubi legendum videtur *οὐ τῆς νεωτέρας* et sequens *οὐ* delendum. cf. etiam Plutarch. in *Pericl.* Cap. XXX.

Quanto melius Plutarchus, aut quisquis est libelli *de Herodoti malignitate* auctor, Cap. VI. *ἐπὶ τῶν ὁμολογουμένων πεπρᾶχθαι, τὴν δ' αἰτίαν, ἀφ' ἧς πέπρακται, καὶ τὴν διάνοιαν ἐχόντων ἄδηλον, ὁ πρὸς τὸ χεῖρον εἰκάζων δυσμενής ἐστι καὶ κακοήθης· ὥσπερ οἱ Κωμικοὶ τὸν πόλεμον ὑπὸ τοῦ Περικλέους ἐκκεκαῦσθαι δι' Ἀσπασίαν ἢ διὰ Φειδίαν ἀποφαίνοντες, οὐ φιλοτιμίᾳ τινὶ καὶ φιλονεικίᾳ μᾶλλον στορέσαι τὸ φρόνημα Πελοποννησίων καὶ μηδενὸς ὑφεῖσθαι Λακεδαιμονίοις θελήσαντος.*

(11) De quo cff. Plutarch. l. l. Harpocrat. l. l. Suidas v. *Ἀσπασία* et *δημοποίητος.* Scholiast. Plat. l. l. qui laudant omnes *Eupolidem ἐν Δήμοις.* Vid. etiam Aelian. V. H. VI. 10. et XIII. 24. et quos supra in ipsius notitia laudavimus p. 42.

(12) Vide quos laudat Stalbaum ad Platon. *Menexenum.* p. 26.

crimen *ἀσεβείας* confugerunt (13): facile crimen inquam, quo tamen Athenis nec gravius ullum neque innoxiis perniciosius: quod testantur Aeschylus, Anaxagoras, Socrates, Alcibiades. Neque successu caruerunt: exacerbitati iudicum animi eo redegere amantem Periclem, ut vix flendo et supplicando ignominiosam uxori impetraret gratiam (14). Tantam vim in tantum virum Aspasiae amor habuit: in eum, qui *ὑψηλόνους* et *τελεσιουργὸς*, Anaxagorae placitis imbutus per totam vitam nec risit nec lacrymatus est.

Mortuo Pericle novas contraxit nuptias et Lysicli nupsit pecuario, nec nobilitate generis neque ingenii dotibus insigni: quem vel sic tamen principem mox effecit in rep. virum (15). Nempe adeo perspecta habebat omnia artificia (*ἐπῳδὰς* Socrates dixerit) quibus homines, quibus totae adeo civitates deliniuntur, quibus primorum conciliatur amicitia, captatur aura populi; ut stupidus plane et bardus is esse debeat, qui tali magistra fretus non facile ad summa quaeque perveniat. Lysicli filium peperit Poristen dictum (16). Ceterum de vitae exitu parum constat: sed in auctorum silentio facile est coniicere, eam illustrem vitam placide et decore finivisse: nam forma dilabitur, at ingenii laus manet, manet morum suavitas, consuetudinis gratia, vita grata amicis, in amicos auctoritas; quibus quum magis quam specie Aspasia floruerit, ad finem usque vitae floruisse videtur.

Verbo denique de Aspasiae scriptis monendum est. Orationem funebrem sive laudationem eorum, qui in Lechaeo pro patria occubuerant, ab ea acceptam recitat in Platonis *Menexeno* Socrates, ubi etiam Periclem in componenda egregia illa oratione funebri, quam apud Thucyd. II. 35. recitat, adiuvisse dicitur p. 236 B. Sed poëtria etiam fuit: hoc unum deësse videbatur ipsius laudibus: exstant fragmenta: Aspasiae versus servavit Athenaeus bene multos, in quibus cum Socrate Alcibiadem depereunte io-

(13) Plutarch. in *Pericl.* Cap. XXXII.

(14) Plutarch *ibid.* *Ἀσπασίαν μὲν οὖν ἐξῃτήσατο πολλὰ πάνυ παρὰ τὴν δίκην, ὥς Αἰσχίνης Φησὶν, ἀφεὶς ὑπὲρ αὐτῆς δάκρυα καὶ δεηθεὶς τῶν δικαστῶν.* Athen. XIII. p. 589 E. ex Antisthene: *καὶ λέγων Φευγούσης ποτὲ αὐτῆς γραφὴν ἀσεβείας λέγων ὑπὲρ αὐτῆς πλείονα ἐδάκρυσεν ἢ ὅτε ὑπὲρ τοῦ βίου καὶ τῆς οὐσίας ἐκινδύνευσεν.*

(15) Auctor est Aeschines Socraticus apud Plutarch. l. l. et Harpocrationem l. l. quod ex eius Dialogo *Callia* esse petitum docet Scholiast. Plat. l. l. De Lysicle cf. *Valesius* ad Harpocrat. l.

(16) Miro errore Interpretes Harpocrationis verba *Λυσικλεῖ τῷ δημαγωγῷ συνοικήσασα πορίστην ἔσχεν*: verterunt: *postquam Lysicli nupsit, — eum quaestuarium habuit.* et de *πορισταῖς* ibi nonnulla habet *Valesius.* Meliora docet Platonis Scholiast. *ἐπεγήματο δὲ μετὰ τὸν Περικλέους θάνατον Λυσικλεῖ τῷ προβατοκαπήλῳ καὶ ἐξ αὐτοῦ ἔσχεν υἱὸν ὀνομασμένον Πορίστήν.*

iocatur (17), sed de his mox accuratius videbimus. Habemus iam, quae Veteres de Aspasia referant, quod sciam, omnia. Nihil diximus quin Veterum auctoritate nitatur. Iam igitur singula facta, singulae auctoritates expendendae sunt et ad sanae Critices normam exigendae. Corruptam esse Aspasiae historiam constat: primum unde corrupta sit, deinde quid corruptum, videamus.

Qui de Aspasia superstite aut brevi post mortem mentionem fecerunt, aut *Comici* sunt aut *Philosophi*: hi propter Socratis, illi propter Periclis maxime cum ea consuetudinem. Comici primum qui conviciis omnibus Periclem lacerabant, omnium patriae malorum auctorem vocabant, libidinosum, uxorium arguebant, quid, quaeso, Aspasiae pepercissent? Hanc igitur opprobriis cuiuscunque generis incesserunt: quum Periclem *Jovem Olympium*, hanc *Junonem* dictitabant (18): hanc *Omphalen*, *Deïaniram*, *Helenam* (19). Pericles, repudiata uxore gravi et molesta (20), Aspasiam ducit, Comicis est *pellex*, *meretrix*, *lena*. Miletus, Aspasiae patria, a Samiis bello premitur; opem fert Pericles; quis adeo caecus, quin causam a plebecula, a maledicentissimis nebulonibus in Aspasiam iri reiectum statim suspiciat; Pericles ab imperitis et malevolis belli Peloponnesii perhibetur auctor; in promtu est Aspasiae tribuere, quod ne cogitare quidem potuit.

Philosophi elegantiores, qui in Dialogorum theatrum celeberrimos quosque producebant, praecipuas saepe partes Aspasiae tribuebant, eamque iocantes, Socratis scilicet et Periclis magistram, variarum rerum scientia et disputandi eloquendique peritia singulari exornaverunt: in iis Xenophon et imprimis Plato sunt censendi. Contra si qui essent severiore ingenio acerbe eam perstrinxerunt, quod de Antisthene (21) et Ae-

(17) Athen. V. p. 219 C.

(18) Schol Plat. *ὁ δὲ Κρατῖνος καὶ Ἥραν (αὐτὴν καλεῖ) ἴσως ὅτι καὶ Περικλῆς Ὀλύμπιος προσηγορεύετο.* Cratini versiculi extant ap. Plutarch. l. l.

Ἥραν δέ οἱ Ἀσπασίαν τίκτει
Καὶ καταπυγοσύνην παλλακὴν κυνώπιδα.

(19) Plutarchus: *ἐν δὲ ταῖς κωμῳδίαις Ὀμφάλη τε νέα καὶ Δηϊάνειρα καὶ πάλιν Ἥρα προσαγορεύεται.* Corruptissimus hic est Platonis Scholiasta, ubi legitur: *Κρατῖνος ἐν Ὀμφάλῃ τύραννον αὐτὴν καλεῖ. Χείρων. Εὔπολις ἐν Φίλοις. ἐν δὲ Προσπαλτίοις Ἑλένην αὐτὴν καλεῖ.* Quod viro cl. Siebenkees in *Anecd.* p. 44. in mentem venit, pro *Χείρων* restituere *χοῖρον* et ad Aspasiae *ἑταιρισμὸν* referre, haud facile, credo, quemquam movebit. Fortasse locus ex Plutarcho ita est restituendus: *Κρατῖνος δὲ Ὀμφάλην νέαν αὐτὴν καλεῖ, Δηϊάνειραν Εὔπολις ἐν Φίλοις* etc. Nam Cratini *Omphale* nusquam laudatur. *Deïanirae* nomen in corruptis ΚΑΛΕΙΧΕΙΡΩΝ facile latere potuit.

(20) Plutarch. *ibid.*

(21) Scripsit Antisthenes Dialogum *Ἀσπασίαν* Diog. Laërt. VI. 16. in quo ingenio indul-

Aeschine (22) accepimus. Jam vero quaecunque lividi et maledici Comici, iocantes et cavillantes philosophi scripto mandarunt, ea ceteri omnes diligenter collegerunt, in eo caecutientes, quod nimiam ipsius aequalibus fidem et auctoritatem tribuerent. Sed verum a mendaciis numquam ita obruitur, quin alicubi pelluceat, imprimis ubi de alicuius rei fide oborta est suspicio et dubitatio. Deficientibus autem fide dignis testibus, ex ipsa rerum indole falsa a veris discernamus, et si non liquido, qualis Aspasia fuerit, hinc efficere licebit, at qualis non fuerit, spero, apparebit.

Aspasia, dissolutis mulier moribus meretrices domi alebat, ut nobiles adolescentes et viros ad se alliceret. Quis, quaeso, auctor? Cratinus et Eupolis (23): duas ipsius meretriculas surripuere Megarenses: testatur Aristophanes. Et hanc scilicet uxoris loco habuit Pericles ille, quo neminem Athenae tulere maiorem, addere ausim, paucos continentiores (24): hanc tenerrimo amore amplexus est: haec ipsi erat omnia! Sed istis credere noli. Qui Periclem luxuriae et libidinibus deditum, qui adulteria, qui incestum adeo commisisse iactitant (25), quid in Aspasiam non auderent? Qui Phidiam, qui Pyrilampen lenocinii reos agunt, quod Periclis lubidinibus inservirent (26), quanto facilius Aspasiam poterant proscindere. Simplicissima res est; non fuit Pericles li-

dulgens multos et ipsam Aspasiam acrius et acerbius perstrinxit. vid. Athen. V. p. 220 D. XIII. p. 589 D.

(22) Multi olim ferebantur Aeschinis Dialogi. Diog. Laërt. II. 60. Ex his VII. habebantur γνήσιοι, faceti illi quidem, sed acerbiores, de quibus mox erit dicendi locus. In his fuit Dialogus Ἀσπασία. Diog. Laërt II. 61. Plutarch. l. l. Schol. Plat. l. l.

(23) Apud Plutarch. l. l.

(24) Cf. omnino Plutarch. in *Pericl.* Cap. VII.

(25) Cff. *Teleclides* ap. Athen. X. p. 436 F. Id. XIII. p. 589 E. Κίμωνος δ' Ἐλπινίκῃ ἀδελφῇ παρανόμως συνόντος, εἶθ' ὕστερον ἐκδοθείσης Καλλίᾳ, καὶ φυγαδευθέντος μισθὸν ἔλαβε τῆς καθόδου αὐτοῦ ὁ Περικλῆς τὸ τῇ Ἐλπινίκῃ μιχθῆναι. quibus operae pretium est opponere Plutarch. in *Pericl.* Cap. X. idem Cap. XIII. οἱ Κωμικοὶ πολλὴν ἀσέλγειαν αὐτοῦ κατεσκέδασαν εἴς τε τὴν Μενίππου γυναῖκα διαβάλλοντες, ἀνδρὸς φίλου καὶ ὑποστρατηγοῦντος, εἴς τε τὰς Πυριλάμπους ὀρνιθοτροφίας, ὃς ἑταῖρος ὢν Περικλέους αἰτίαν εἶχε ταῶνας ὑφιέναι ταῖς γυναιξὶν, αἷς ὁ Περικλῆς ἐπλησίαζεν.

(26) De Pyrilampe vidimus: de Phidia Plutarch. *ibid.* πάντα δὲ ἦν σχεδὸν ἐπ' αὐτῷ (*Phidiae*) καὶ πᾶσιν, ὡς εἰρήκαμεν, ἐπεστάτει τοῖς τεχνίταις διὰ φιλίαν τοῦ Περικλέους· καὶ τοῦτο τῷ μὲν φθόνον, τῷ δὲ βλασφημίαν ἤνεγκεν, ὡς ἐλευθέρας τῷ Περικλεῖ γυναῖκας εἰς τὰ ἔργα φοιτώσας ὑποδεχομένου τοῦ Φειδίου. Iisdem plane verbis Aspasiam ὡς Περικλεῖ γυναῖκας ἐλευθέρας εἰς τὸ αὐτὸ φοιτώσας ὑποδέχοιτο obiecit Hermippus Comicus *ibid.* Cap. XXXII.

Plutarchus, quid de istis calumniis sentiat, satis declarat.

libidinosus; ergo Phidias et Pyrilampes crimine vacui: ergo Aspasia omni suspicione liberata. Sed erat Aspasia Ionica et sui iuris, atque adeo vita et victu liberior, quam ut Atheniensibus, uxores et filias fere in servitute habentibus, probari potuerit. Aspasia primorum in rep. virorum consuetudine utebatur: formosa erat: formosas secum habebat: quid maledicis facilius, quam impudicitiae crimen, quo nullum nec contrahitur citius, nec difficilius diluitur. Vulgo haud ita facile persuadetur, formosissimas puellas, viros nobiles et divites confabulando, disputando, iocando inter se terere tempus. Mali et dedecoris licentia optime suspicioni subministrat locum. Deinde, si qua ex formosis Aspasiae amicabus blanda vi et precibus urbani adolescentis fuerit ad dulce Veneris sacrum perlecta: num ergo apud Aspasiam lustrum et lupanar? Aspasia lena? Sed quid pergam ulterius? Si Periclis continentiam et vitae sanctitatem Comicorum nequitiae et maledicentiae, si illius amorem istorum invidiae et odio opponamus, ita demum, quid de criminationibus istis et calumniis statuendum sit, optime sentiemus.

At Pericles uxorius Graecorum et patriae salutem mulierculae prodidit. Portento similius quam vero. Et de bello Peloponnesio quidem et Aristophanis versiculis quid dicamus? Si qui hodieque sunt, qui Periclem huiusce belli suspicentur auctorem, his respondeat Wyttenbachius in *Biblioth. Crit.* Vol. III. Part. III. pag. 79 *sqq.* neque Athenaei curamus stuporem, qui cupide hancce in Aspasiam calumniam arripuit XIII. p. 569 *sq.* At quid stuporem obiicimus viro pessimo et maledicentissimo, qui in praestantissimos quosque odiose et cupide convicia conquisivit, quibus gaudebat, quibus exsultabat. Odio flagrabat in Socratem, in Platonem, in Xenophontem, in omnes denique, si unum forte Epicurum exceperis, philosophos. Odio flagrabat in Periclem, cuius quum incestum cum uxore filii retulisset, gaudio exsultans addit: *ὡς Στησίμβροτος ὁ Θάσιος ἱστορεῖ κατὰ τοὺς αὐτοὺς αὐτῷ γενόμενος χρόνους καὶ ἑωρακὼς αὐτόν.* Ista igitur cum isto mittamus. Videamus de bello Samiaco, in quo maior videtur haerere scrupulos: cuius causam non Comici, sed Duris Samius, Theophrastus (27), ipse adeo Plutarchus (28) ad Aspasiam retulerunt. Rem ita narrat Thucydides, unus omnium in his auctor gravissimus (29), et ex eo fere Plutarchus (30). Milesios inter et Samios de urbe Priene contentio erat. Athenienses pro imperio utrosque quiesce-

(27) Harpocration. l. l. *δοκεῖ δὲ δυοῖν πολέμων αἰτία γεγονέναι τοῦ τε Σαμιακοῦ καὶ τοῦ Πελοποννησιακοῦ, ὡς ἔστι μαθεῖν παρά τε Δούριδος τοῦ Σαμίου καὶ Θεοφράστου ἐκ τοῦ τετάρτου τῶν Πολιτικῶν, καὶ ἐκ τῶν Ἀριστοφάνους Ἀχαρνέων.*

(28) l. l. et Cap. XXV.

(29) Bellum Samiacum refert Thucydides I. 115—117. [quem sequitur Diod. Sic. XII. 27 *sq.*]

(30) Plutarch. in *Pericl.* Cap. XXV—XXVIII.

facere iubent: se rem iudicio disceptaturos. Quorum arbitrium Samii superbe abnuentes Milesios bello premunt. Hoc non ferentes Athenienses bello contumaces persequuntur. Accessere causae etiam graviores. Sami vigebat Oligarchia, Atheniensibus inimica semper et suspecta: hinc Persis favebant: non aperte quidem, sed occasionem exspectabant, ut in ipso bello apparuit: et quod maximum est, mari tantis copiis valebant, ut semper esset metus, ne Atheniensibus maris imperium adimerent (31). Quis igitur credat, Aspasiae blanditiis fuisse opus, quum aemulatio et odium, et imprimis imperandi studium bellum incenderet (32)? Et Duridis Samii quidem, utpote calamitate patriae dolentis atque Atheniensibus et Pericli infestissimi, nullam hic esse auctoritatem, satis declarat Plutarch. in *Pericl.* Cap. XXVIII. (33) Theophrasti et ipsius Plutarchi, qui tamen dubitabundus in ea re loquitur, testimoniis, unum opponamus Thucydidem, qui quum silentio ista praeterierit, quid rumoribus istis sit tribuendum, satis declaravit.

Quae deinde de Aspasiae iudicio *ἀσεβείας* et secundis nuptiis narrantur, ea omnia ad unum omnes ex eodem fonte hauserunt, ex Dialogis Aeschinis Socratici, ad quem provocant omnes auctorem. Aeschinis autem Dialogi festivi erant et vere Socratici, iidemque tamen acerbo sale suffusi. Si qui sibi non probarentur, in iis irridendis et acriter perstringendis ingenio nimium indulsisse videtur: quod Hipponicus et Callias, Prodicus, Protagoras, Periclis filii Paralus et Xanthippus, Alcibiades, Critobulus, Telauges, *Telesas et alii* senserunt (34). Neque Pericli igitur ipsum aut Aspasiae pepercisse, et multa de ipsius dicteriis esse detrahendum, quis est, qui non videat?

Verum nec nimium deprimi Aspasiae existimationem aequum est, neque extolli nimis. Quod fieri videmus, ubi de Socratis cum ea consuetudine agitur. Esto: fuit Aspasia tanta ingenii facilitate et elegantia, ut probabiliter de multis disputaret, eloqueretur dulcissime: neque tamen eam fuisse Aspasiam facile credas, quae Periclem eloquentiam, Socratem cum eloquentia philosophiam doceret. Esto: magistra Aspasia gloriatur lepidus

(31) Thucyd. VIII. 76. (*Samos*) *παρ' ἐλάχιστον ἦλθε τὸ Ἀθηναίων κράτος τῆς θαλάσσης, ὅτε ἐπολέμησεν, ἀφελέσθαι*: quem ipsum locum laudat Plutarch. Cap. XXVIII.

(32) Hinc operae pretium est videre quantis animis, quantaque acerbitate bellum hoc gestum sit. De crudelitate utrorumque in captivos vid. Plutarch. Cap. XXVII.

(33) *Δοῦρις μὲν οὖν οὐδ' ὅπου μηδὲν αὐτῷ πρόσεστιν ἴδιον πάθος εἰωθὼς κρατεῖν τὴν διήγησιν ἐπὶ τῆς ἀληθείας, μᾶλλον ἔοικεν ἐνταῦθα δεινῶσαι τὰς τῆς πατρίδος συμφορὰς ἐπὶ διαβολῇ τῶν Ἀθηναίων.*

(34) Athen. V. p. 220 A, ubi contendit, *ὅτι πεφύκασιν οἱ πλεῖστοι τῶν φιλοσόφων τῶν κωμικῶν κακήγοροι μᾶλλον εἶναι*, horum omnium deinceps, quos nominavimus, exempla ex *Aeschine Socratico* affert. Legitur ibi *Anaxagorae* nomen, sed vide supra pag. 61. Not. (5).

dus senex: sed dubito an ulla in re magis, quam in magistris suis celebrandis festiva ipsius ironia eluceat. Connum se Musicam docuisse iactat, at bonus Connus numquam non est ridiculus (35). Prodico doctori suo passim agit gratias, quod se rectum verborum usum docuerit: in recto verborum usu Prodicum explodit (36). Aspasiae laudat institutionem, at profecto discipulus docuit magistram. Concisam enim illam et efficacem disputandi rationem, quae interrogando et respondendo consistit, ab eo didicit Aspasia. Vide exemplum Aspasiae disputantis apud Cicer. *de Invent.* I. 31. et Quinctil. I. O. V. 11. Sed quod a nemine alio discere potuit, et quo tantopere excelluit, id totum Aspasiae consuetudini retulit acceptum: humanitatem illam dico et urbanitatem, iocos illos et sales lepidissimos, nec tamen acerbos: urbanam illam dicendi elegantiam et ex parte celebrem illam *εἰρωνείαν* Aspasiae debuit. Sunt etiam nonnulla, exigua illa quidem, quae nec ab omnibus sentiuntur, quae vere humanum, vere urbanum efficiant hominem, eaque videtur natura foeminis uberius quam viris tribuisse. Atque illa cum Socrate communicabat Aspasia, in illis docilem habuit discipulum: apud Aspasiam *ἔθυε ταῖς Χάρισιν*, atque ita magistrae gratias habere poterat et habebat.

De Aspasiae scriptis non est, quod multa dicamus. Nam de orationibus illis, quas Plato iocans ipsi tribuit, quid statuendum sit, nec Veteres latuit, nec hodie quemquam potest latere. Cf. Groen p. 124. et nuperrimus Platonis Interpres G. Stalbaum ad *Menexenum* (37). Poëseos laudem, etsi Aspasiae nolim negatam, minime tamen constare contendo ex versiculis istis, quos servavit Athenaeus. Nam et argumentum et versus ipsi Aspasia et Socrate indigni sunt. Quid de Socrate, Alcibiadis florem aetatis appetente et ab eo superbe repudiato sit existimandum, satis hodie constat: in quo tamen argumento versatur Aspasiae carmen. Versus ieiuni et duri, interdum obscuri. Quis Aspasia et Periclis aetate ista esse digna censeat:

Σώκρατες, οὐκ ἔλαθές με πόθῳ δηχθεὶς φρένα τὴν σὴν
Παιδὸς Δεινομάχης καὶ Κλεινίου· ἀλλ' ὑπάκουσον,
Εἰ βούλει σοι ἔχειν εὖ παιδικά, μηδ' ἀπιθήσῃς
'Αγγέλῳ, ἀλλὰ πιθοῦ, καί σοι πολὺ βέλτιον ἔσται.

Cui Socrates: *Κἀγὼ ὅπως ἤκουσα χαρᾶς ὕπο σῶμα λιπαίνω*

Ἱδρῶ-

(35) De *Conno* vid. Plat. *Menexenus* pag. 235 A. *Euthyd.* pag. 272 C.

(36) De *Prodico* cf. omnino Groen pag. 87 sqq.

(37) [Imo de Aspasia ne cogitavit quidem Pericles, quum in extrema oratione funebri apud Thucyd. II. 45. mulieres ita compellaret: *εἰ δέ με δεῖ καὶ γυναικείας τι ἀρετῆς — μνησθῆναι, βραχείᾳ παραινέσει ἅπαν σημανῶ· τῆς τε γὰρ ὑπαρχούσης φύσεως μὴ χείροσι γενέσθαι ὑμῖν μεγάλη ἡ δόξα, καὶ ἧς ἂν ἐπ' ἐλάχιστον ἀρετῆς πέρι ἢ ψόγου ἐν τοῖς ἄρσεσι κλέος ᾖ.*]

Ἴδ;ῶτι, βλεφάρων δὲ γόος πίσεν οὐκ ἀθελήτως.

Aspasia: Στέλλου πλησάμενος θυμὸν μούσης κατόχοιο,

Ἧι τόνδ' αἱρήσεις ᾠδῶν δεινοῖσι πόθοισι κ. τ. λ. (38).

Sed satis. Ex cantu enim iam facile avis agnoscitur. Laudati autem hi versiculi sunt et servati ex Herodico Cratetio, qui eo maxime tempore vixit, quo Grammatici et Rhetores in eo potissimum elaborabant, ut sub Antiquorum nomine sua scripta venditarent: quo *Phalaridis* et *Themistoclis Epistolae* et quid non, quasi ex Orco fuerit revocatum.

Multum ab Aspasiae indole diversa erat ΤΗΕΟDΟΤΕ illa καλή, quam Xenophon memorat *Mem.* III. 11. Meretrix illa quidem et οἵα συνεῖναι τῷ πείθοντι §. 1. neque tamen impudica adeo ut nudam se prostitueret cuivis spectandam, sed ἐπεδείκνυεν ἑαυτῆς, ὅσα καλῶς ἔχοι §. 1. quod caute addidit Xenophon, neque est ab omnibus observatum. Tanta erat corporis pulchritudine conspicua, ut pictores pulcherrima quaeque sedulo depingerent §. 1. (39). Theodote nec mala erat neque illepida muliercula, needum meretriciis artibus imbuta, verosimiliter avidae et improbae matris, quae adstabat ἐν ἐσθῆτι καὶ θεραπείᾳ οὐ τῇ τυχούσῃ. §. 4, consiliis ad istum quaestum perducta. Huius igitur candore et simplicitate captus Socrates non irridet, sed urbane ipsi abblanditur et iocatur facetissime (40): in hoc praesertim colloquio lepidi senis εἰρωνεία elucet. Quod quum Athenaeus non viderit, vide mihi quantas torqueat in Socratem indignabundus sententias V. p. 220. Σωκράτης Θεοδότην διδάσκων ὡς δεῖ τοὺς ἐραστὰς ἀπολαύειν (41) — τοιαῦτα γὰρ (Xenophon) ποιεῖ αὐτὸν παραγγέλματα τῇ Θεοδότῃ λέγοντα, ἃ οὔτε Νικὼ ἡ Σα-

(38) Athen. V. pag. 219 E. Casaub. in *Animadv.* p. 390. multa ex iis luculenter illustrat. Idem ad Diog. Laërt. II 23. vocat versus *mollissimos*, at vel sic tamen ipsos legenti et relegenti Herodico Cratetio, quam Aspasia videntur digniores.

(39) Hinc apud Athen. XIII. p. 588 E, ubi, laudato hoc Xenophontis loco, addit: οὕτω δ' ἦν ἡ Λαῒς καλή, ὡς καὶ τοὺς ζωγράφους ἐρχομένους πρὸς αὐτὴν ἀπομιμεῖσθαι τῆς γυναικὸς τοὺς μαστοὺς καὶ τὰ στέρνα: *Laidis* nomen, quod ex statim sequenti Laidis mentione huc videtur intrusum, eiiciendum est: et locus, utpote ex *Mem.* I. l. petitus, ad *Theodoten* est referendus.

(40) In §. 7. οὐ γὰρ δή, ἔφη, οὕτω γε ἀτεχνῶς οἴεσθαι χρὴ τὸ πλείστου ἄξιον θήρευμα, τοὺς φίλους, θηράσειν: miror neminem vidisse, legendum esse ἀτέχνως *sine arte* de qua voce cf. Wyttenbach. ad Plat. *Phaed.* p. 265.

(41) Locus sine dubio corruptus, quem adeo varie tentarunt viri docti, qui aut τῶν ἐραστῶν restituere, aut pro ἀπολαύειν ἀπελαύνειν aut ἀποκλείειν reponere voluerunt. Sed unice placet ingeniosissima *Iacobsii* coniectura ἀπολαύειν leniter in παλεύειν mutantis. Nam παλεύειν egregie respondet τῷ θηρᾷν, quo Xenophon hic utitur: et eximie dicitur de *aucupio*, quod imprimis in huius loci sententiam convenit.

Σαμία ἢ Καλλιστράτη ἢ Λεσβία ἢ Φιλαινὶς ἢ Λευκαδία ἀλλ' οὐδ' ὁ Ἀθηναῖος Πυθόνικος συνεωράκασι πόθων θέλγητρα. οὗτοι γὰρ περὶ ταῦτα ἠσχόληντο περισσῶς. Verum iste suo fruatur iudicio: nam in Xenophonte sunt alia omnia.

Ceterum, quae de Theodote narrantur, collegit iam Ruhnken. ad *Mem.* l. l. Inter celeberrimas Graeciae meretrices numeratur a Libanio I. p. 582. Ab Alcibiade amata fuit, quem in expeditiones et bella sequebatur. Athen. XII. p. 535 C. *στρατηγῶν δὲ (ὁ Ἀλκιβιάδης) συμπεριήγετο τήν τε Λαΐδος τῆς Κορινθίας μητέρα Τιμάνδραν, καὶ Θεοδότην τὴν Ἀττικὴν ἑταίραν*, quem in Phrygia interfectum sepeliisse narratur ab eodem XIII. p. 574 F. *δύο ἑταίρας ἐπήγετο ἀεὶ ὁ Ἀλκιβιάδης Δαμασάνδραν τῆς Λαΐδος τῆς νεωτέρας μητέρα (42) καὶ Θεοδότην, ὑφ' ἧς καὶ ἀποθανὼν ἐκηδεύθη ἐν Μελίσσῃ κώμῃ τῆς Φρυγίας*: quamvis Plutarchus in *Alcibiad.* Cap. XXXIX. solam Timandram ipsi adfuisse refert, quae vita functum *τοῖς αὐτῆς περιβαλοῦσα καὶ περικαλύψασα χιτωνίσκοις ἐκ τῶν παρόντων ἐκήδευσε λάμπρως καὶ φιλοτίμως.*

Hic nobis etiam memorandus est MELETUS (43), Lari F., quem ad Poëtas referre noluimus: nulla enim re minus quam poëtica facultate fuit insignis. Eloquentiae et poësi dedit ille quidem aliquam operam, sed erat *ὑπόψυχρος* et ineptus, auctore Suida in v. *Μέλητος*, qui sua habet ex Schol. ad *Arist. Ran.* l. mox l. Tragoedias composuit et Scolia, quae Aristoph. in *Ran.* vs. 1302. explodit.

Οὗτος δ' (Euripides) ἀπὸ πάντων μὲν φέρει πορνιδίων,
Σκολιῶν Μελήτου, Καρικῶν αὐλημάτων.

Corpore fuisse dicitur tenuissimo, unde passim a Comicis risus est. Aristophanes in *Gerytade*, ubi graciles et macilentos multos enumerat, quos ait ad Poëtas in inferis degentes legatos ap. Athen. XII. p. 551.

Καὶ τίνες ἂν εἶεν; — πρῶτα μὲν Σαννυρίων
Ἀπὸ τῶν τραγῳδῶν (44)· ἀπὸ δὲ τῶν τραγικῶν χορῶν

Mé-

(42) Pro *Δαμασάνδραν* videtur restituendum *Τιμάνδραν* ut quum ab aliis tum a Plutarcho l. l. et Athenaeo l. l. Laidis mater vocatur. [In viam me reduxit magnus *Hemsterhusius* ad Aristoph. *Plut.* vs. 179. pag. 59. ubi acutissime suspicatur Timandram, quae Alcibiadem, tantum virum, amore domuerit, a Comicorum aliquo risus gratia Damasandram fuisse appellatam.]

(43) Est hominis nomen non *Μέλιτος*, ut olim semper scribebatur, et quod tuetur *Casaub.* ad Athen. p. 857. sed *Μέλητος*, ut ostendit R. Bentleius in *Respons. ad C. Boyle* p. 167. Lennep, et hodie ab omnibus est usu receptum.

(44) Haec corrupta esse apparet: nam *Tragicorum* sequitur mentio, et Sannurion erat Comicus. Hinc *Perizon.* ad Aelian. V. H. X. 6. „*reponendum est*" ait „*sine haesitatione ἀπὸ τῶν κωμῳδῶν*" sed haesitasset, opinor, vir doct. si metri Leges cogitasset. Quanto igitur melius vir in his quoque cum paucis comparandus, R. Bentl. *ἀπὸ τῶν τρυγῳδῶν* reposuit in *Dissert. de Epist. Phalar.* pag. 299. Lennep.

Μέλητος· ἀπὸ δὲ τῶν κυκλικῶν Κινησίας.
— Ὡς σφόδρ' ἐπὶ λεπτῶν ἐλπίδων ὀχεῖσθ' ἄρα·
Τούτους γὰρ ἦν πολὺς συνέλθῃ συλλαβὼν
Ὁ τῆς διαῤῥοίας ποταμὸς οἰχήσεται (45).

quin etiam ipse Sannurion istum vocavit

Μέλητον τὸν ἀπὸ Ληναίου νεκρόν.

Athen. ibid. cf. Aelian. V. H. X. 6.

Verum nulla re tamen famosior, quam quod Socratis fuerit accusator, ut turpissimus, ita etiam acerbissimus (46): unde, ceteris omissis, hunc tantum nominat Xenophon. *Mem.* IV. 4. §. 4. et IV. 8. §. 4. Videtur Socrates ipsius poëmata improbasse, atque ita nequissimi hominis odium sibi contraxisse, ut acute suspicatur Groen. p. 165. Ceterum, quamvis ea fere omnia, quae ad Atheniensium propter necatum Socratem poenitentiam et poenas de improbis accusatoribus sumtas pertineant, in controversiam vocari posse, nos non latet, tamen satis constat Meletum brevi post necem Socratis commissum facinus morte expiasse (47). Diog. Laërt. II. 43. ubi vid. *Menag.* quod imprimis Antisthenis opera esse factum testatur idem VI. 9.

Quod refert Aelian. V. H. II. 13. Meletum et alios Aristophanem pretio ad Nubes scribendas excitasse, quo facilius philosophum in civium invidiam et odium adducerent, id hodie ab omnibus, ut est, pro mera fabula habetur, quam vel temporum ratio satis arguit.

Sunt deinde nonnulli ex Socratis amicis et notis, qui nec aliunde sunt cogniti nec multum ex ipso Xenophonte cognoscuntur.

Ad eos referendus est DIODORUS, quem divitem et liberalem adhortatur Socrates, ut Her-

(45) Ita enim legere malim, quam cum Casaubono *πολλὰς* et *διαρείας — ἐξοιχήσεται.*

(46) Dubitat Groen pag. 165 an non sit Tragicus Meletus ab accusatore Socratis diversus, sed sine causa. Nam quod unicum affert argumentum, Euripidem ex poëmatis eius, qui brevi ante Socratis mortem iuvenis esset et obscurus, multa desumere non potuisse, quod testantur Aristophanes in *Ran.* l. l. et Scholiast. ad h. l.: in eo non satis attendisse videtur, a quonam haec Euripidi obiiciantur. Nempe ab Aeschylo Aristophaneo, qui multo acerbius adversario exprobrat, quod poëtastros ineptos et obscuros suffuretur, quam si ex praeclarorum poëtarum scriptis eum quidquam in suos usus convertisse arguere voluisset.

(47) Morte mulctatum esse Meletum, constat inter omnes: de genere mortis dissentiunt. Diog. Laërt. l. l. simpliciter *Μελήτου δὲ θάνατον κατέγνωσαν* (*οἱ Ἀθηναῖοι*). Suidas in v. *κατελιθώθη δὲ ὑπὸ τῶν Ἀθηναίων.* Plutarchus in libello *de invidia et odio* Cap. VI. auctor est, Socratis accusatores omnes propter flagrantissimum omnium odium ad restim esse redactos. Diodorus Siculus eos ait ab irato populo, indicta causa, esse interfectos XIV. 37. ubi vide Wesseling. p. 672.

Hermogenis, communis amici, sublevet inopiam. *Mem.* II. 10. EUTHERUS, qui bello ad inopiam redactus, operas suas cuivis locare malebat, quam aut quidquam ab alio flagitare, aut cuiquam se cuiuscunque operis ministrum et socium addere, ne servitutem servire, aut cuipiam obnoxius esse cogeretur; a qua superbia ipsum revocat Socrates *Mem.* II. 8. ARISTARCHUS, qui, quum civitate a Lysandro et XXX Tyrannis oppressa, magnus civium numerus ad Thrasybulum in Piraeeum confugisset, atque adeo eius sorores et fratrum sororumque filiae ad eum se recepissent, mox penuria victus laborare coepit. Inopem igitur consilii et animi pendentem solatur Socrates *Mem.* II. 7: suadetque, ut mulieres istas vestes aliaque id genus conficere iubeat §. 5 *sq.* Quod quum Aristarcho primum minus honestum et ingenuis indignum videretur, Socratis tamen consiliis et rationibus permotus obtemperavit §. 7. atque ita se suasque omnes facile sustentavit. §. 12. NICOMACHIDES, vetus militiae, qui, quamvis plurima stipendia *λοχαγὸς* et *ταξίαρχος* meruisset, et multa in multis expeditionibus vulnera accepisset *Mem.* III. 4. §. 1, tamen, quum Praetores (*στρατηγοί*) essent creandi, fuit a populo praetermissus, et ANTISTHENES quidam, homo dives §. 3, sed qui in bello nihil umquam memorabile gessisset, delectus est. Quem Socrates ita placat, ut ostendat, Antisthenem, ut qui in opibus colligendis, tuendis et augendis esset diligentissimus, ita habere omnia, quibus prudentes et idonei belli duces censeantur. In qua tamen disputatione utrum ex animi sententia magis an iocans disserat, ambigi possit. AESCHYLUS Phliasius, quem virtute et morum suavitate conspicuum Antisthenes Socrati, ut Socratem Aeschylo commendasse dicitur *Symp.* IV. §. 63.

Supersunt denique pauci, quorum hic illic qualicumque de causa mentio iniicitur: quos obscuros fere homines et nullius momenti, ne quem omisisse videamur, huc reiicere satis duximus.

Ad eos pertinet: LICHAS Spartanus, vir ditissimus, sed nulla alia re nobilis, nisi quod *ταῖς γυμνοπαιδίαις τοὺς ἐπιδημοῦντας ἐν Λακεδαίμονι ξένους ἐδείπνιζεν.* *Mem.* I. 2. §. 61. ubi Ruhnken. quae ad eum pertinent omnia collegit.

CERAMO Atheniensis, qui multos habebat servos opifices, unde maximas sibi divitias comparasse dicitur. *Mem.* II. 7. §. 4. *ibid.* §. 6. memoratur NAUSICYDES, qui *ἀπ' ἀλφιτοποιΐας — οὐ μόνον ἑαυτόν τε καὶ τοὺς οἰκέτας τρέφει ἀλλὰ πρὸς τούτοις καὶ ὗς πολλὰς καὶ βοῦς, καὶ περιποιεῖται τοσαῦτα, ὥστε καὶ τῇ πόλει πολλάκις λειτουργεῖν.* Unde apparet esse eundem, quem perstringit Aristoph. in *Ecclesiaz.* vs. 422 *sqq.*

εἰ δ' ἐκεῖνά γε
Προσέθηκεν, οὐδεὶς ἀντεχειροτόνησεν ἄν,
Τοὺς ἀλφιταμοιβοὺς τοῖς ἀπόροις τρεῖς χοίνικας
Δεῖπνον παρέχειν ἅπασιν, ἢ κλάειν μακρά.
Ἵνα τοῦτ' ἀπέλαυσαν Ναυσικύδους τἀγαθόν.

qui-

quibus ditissimi hominis avaritia arguitur. Haud scio an idem sit, qui Ναυσικύδης ὁ Χολαργεύς, quem Callicli familiarem memorat Plato in *Gorg.* p. 487 C. ex quo loco improbum et nequam fuisse hominum satis efficitur. Ceterum, quod Groen suspicatur pag. 135, istum propter opes amplissimas, magnam habuisse in rep. auctoritatem, nobis quidem, si alia indicia desint, plus quam dubium esse videtur.

Eodem loco §. 6. enumerantur alii quidam, qui et ipsi ex sordidis et contemtis opificiis, opes satis amplas sibi quaesiverunt; in his est CIRIBUS pistor, notus mihi nomine tantum: quod et ipsum Valckenario Graecis plane inauditum videtur et mutandum aut in *Κόροιβος* aut in Κυρήβιων, quod unice placet: nam nomen est a re inditum. Cf. *Schneid.* ad h. l. nempe *κυρήβια farinae genus* est apud Aristoph. in *Equitt.* vs. 254.

Εὐκράτης ἔφευγεν εὐθὺ τῶν κυρηβίων.

Unde Κυρηβίων cognomen risus aut contumeliae causa nonnullis inditum. Alexis Comicus apud Athen. VI. p. 242. *ἐν Παγκρατιαστῇ τρεχεδείπνους καταλέγων.*

Πρῶτος μὲν ἦν σοι Καλλιμέδων ὁ κάραβος
Ἔπειτα Κόρυδος, Κωβίων, Κυρηβίων
Ὁ σκόμβρος, ἡ σεμίδαλις.

Quae cum sint omnia a cibariis petita cognomina, haud illepide alter:

Ἡράκλεις φίλε,
Ἀγοράσματ'. οὐ συμπόσιον εἴρηκας, γύναι.

Hinc Κυρηβίων fuit nomen Parasiti cuiusdam, qui scripsit *περὶ δείπνων.* Athen. *ibid.* p. 244 A. Contumeliae exemplum est apud Athen. p. 242. *Κυρηβίων δ' ἐπεκαλεῖτο Ἐπικράτης, ὁ Αἰσχίνου τοῦ ῥήτορος κηδεστής, ὥς φησι Δημοσθένης ἐν τῷ περὶ Παραπρεσβείας.* vid. Demosthenem de F. L. p. 433. Reisk. Quare ab Atheniensibus contemtae conditionis homini istud nomen fuisse inditum, probabile est.

Neque magis noti sunt aut DEMEAS ὁ Κολυττεὺς aut MENO, quorum ille *ἀπὸ χλαμυδουργίας*, hic *ἀπὸ χλανιδοποιΐας* victum satis amplum sibi quaesivisse dicuntur *Mem.* I. l. aut NICIAS *ὁ ἐπηλύτης. Oecon.* XI. §. 4: nam qui Niciam, Nicerati F., ibi intelligunt recens Lacedaemone *reducem*, non attendisse videntur ad vim vocis *ἐπηλύτης*, quae probatis scriptoribus nihil aliud significat, quam *advenam.* Cf. *Schneid.* ad h. l. qui tamen *ἔπηλυς* et *ἐπήλυτος* (*sic?*) sine causa distinguit.

Ultimus prodeat PHILIPPUS *ὁ γελωτοποιός*, qui invocatus Calliae convivio supervenit, *νομίσας γελοιότερον εἶναι τὸ ἄκλητον ἢ τὸ κεκλημένον ἐλθεῖν ἐπὶ τὸ δεῖπνον. Symp.* I. §. 13. In eo lepidissime Xenophon istorum ingenium et mores depinxit, qui Athenis, ut *δειπνεῖν τἀλλότρια* possent, nihil non faciebant aut patiebantur. Eius facetiae fere sunt scurriles et plebeiae, quibus adeo urbani et elegantiores homines nequeant oblectari, *Symp.* I. §. 14 *sqq.* ioci fere omnes frigidi et insulsi. *Symp.* I. I. §. 13. 15. 20. 23. 27. IV. §. 55. *ali-*

alibi, quibus homo petulans et protervus Athenienses sua aetate claros proscindere non veretur *Symp*. II. §. 14. III. §. 11. in quibus omnibus succurrit Aristophaneum illud:

Ὅταν τι τούτων τῶν σοφισμάτων ἴδω,
Πλεῖν ἢ 'νιαυτὸν πρεσβύτερος ἀπέρχομαι.

Ceterum de Philippo nihil constat: qui ipsius mentionem fecere Veteres, ex Xenophonte sua hauserunt. Maxim. Tyr. *Diss*. XX. Aristid. p. 497. Athen. XIV. p. 614 C. in eodem I. p. 20. pro *Φιλιππίδου τοῦ γελωτοποιοῦ* restituendum est *Φιλίππου*. Hinc lucem accipit locus Dionis Chrysostomi in *Orat*. LXV. p. 612. ubi refert Bionis dictum: *μὴ δυνατὸν εἶναι τοῖς πολλοῖς ἀρέσκειν, εἰ μὴ πλακοῦντα γενόμενον ἢ Θάσιον*, neque id sufficere arguens addit: *ἀλλὰ καὶ μύρον δεῖ καὶ αὐλητρίδας* (malim *αὐλητρίδα*) *γενέσθαι καὶ μειράκιον ὡραῖον καὶ Φίλιππον τὸν γελωτοποιόν*: unde apparet Dionem in hisce omnibus Convivium Xenophonteum respicere.

Habetis, Viri Clarissimi, quae illustrandis eorum nominibus, qui in hisce Xenophontis libris memorantur, ad ipsum Xenophontem illustrandum conferre potui. Hancce igitur qualemcunque Commentationem iudicio Vestro metuens pariter et sperans submitto: nam metuo, si quantum ad hoc argumentum bene pertractandum et ingenio meo et doctrinae et orationis elegantiae desit, respicio: spero, si Vestram cogito erga adolescentem benevolentiam et indulgentiam, qua Vobis « si quid desit operi, supplet aetas, et si qua « dicta sint iuveniliter, pro indole accipiuntur."

Palmam mihi praestantiores adversarii possunt praeripere; at si Vobis, Viri Clarissimi, aliquam meam diligentiam et Literarum Graecarum amorem probavero, optime mecum actum esse laetus existimavero. Quidquid erit, et aliquantum me hac ipsa Commentatione conscribenda ad meliorem harum Literarum intelligentiam profecisse sentio, et si unquam, nunc maxime verum esse expertus sum SOLONIS illud, quod Symboli loco hic subscribo:

ΧΑΛΕΠΑ ΤΑ ΚΑΛΑ.

CON-

CONSPECTUS OPUSCULI.

INDEX

EORUM, QUORUM NOMINA ILLUSTRANTUR.

Ly-